XLIII. Lm. 1

XLIII. m. 7.

1 VII 30

~~Anno~~

Anno

10

CIVILIVM APVD BELGAS BELLORVM

INITIA, PROGRESSVS, FINIS OPTATVS:

IN QVAM REM REMEDIA A FERRO ET PACE PRÆSCRIPTA,

FIDEI, PATRIÆ, ORBIS BONO.

Ex Libris Joannis Frezneker: Regiae Mttis Poloniae Secretarij et Notarij Cracoviensis. A 1686

Anno partæ salutis M.DC.XXVII.

ÆQVO LECTORI.

CVM, *quod abhinc anno, in exterorum gratiam, Latinè reddidi institutum inter duos Hispanos viros nobiles* Pelagium & Bonauenturam *de Belgicis rebus Colloquium, tibi, ob rei quam tractat, nouitatem & necessariam cognitionem, placuisse comperissem; operæ rursus pretium me facturum, & nouam apud te gratiam inituturum putaui, si ipsum, multò quàm antè prodierat, auctius, Latinum rursus tibi sistam. Ad nuperam enim Teutonicam editionem multa cognitu non iniucunda, & non vulgata & audita hactenus, accessere. Nimirum tota Batauici regiminis & politiæ ratio, quæ exteris paucis nota. Quæ item Ordines Batauos ad Americanam expeditionem tanto impendio suscipiendam causa moueat, & quæ econtrà Hispanos ad eam disturbandam, & omnes illos occidentis solis tractus impensiùs tuendos, nimiâ illâ, quam habent, fiduciâ valere iussâ, debeat impellere. Modus quoque proponitur, quo Hispaniarum Rex in Belgij sui ora, quinquaginta (dicere ausim, etiam centum) nauium classem, nullo ærarij*

ſui cum detrimento, vt tamē menſtruè eiuſdem epibatis ſtipendium numeretur, ſuſtineat; qua & vniuerſam oram Flandricam tueatur, & Hiſpanorum quolibet mari nauigationem ſecuram reddat. Adhæc oſtenditur, quænam in Africam merces inuehi, quænam euehi, & quibuſnam è portubus debeant. Quodq́ longè optabilius, facilis proponitur modus, etiam Zelandis & Hollandis rebellibus probatus, tandem aliquando, poſt diuturnum & graue hoc bellum, ad exoptatam pacem perueniendi. Deinde certiſſima, omnis ſeditionis militaris, quæ vnica longi huius belli occaſio & incentiuum fuit, tollendæ, collapſæ diſciplinæ militaris reſtaurandæ, omnis mercimonij quod Europa tota ſuſcipitur, in Regium Belgium deriuandi; & æreæ monetæ ſine vllo aut Regis, aut ſubditorum grauamine, ad antiquum pretium reducendæ, remedia ſuggeruntur. Sparſim quoque aliæ multæ curioſæ ſatis quæſtiones, & earum ſolutiones interſeruntur, è quibus Hiſpanicam ſimul & Batauicam potentiam, & quidquid toto belli Belgici tempore contigit, colliges. Porro ita verè & candidè, neutri partium adulando, hæc repræſentantur,

tantur, vt nec Hiſpanorum bello hoc admiſſi errores vſquam diſſimulentur, & ſimul eorum Regi remedia nonnulla & ratio ſuggerãtur, quibus ſi auſcultet, tandem optatum belli finem, nequid quam in contrarium obnitente ſociorum Regum, Principum & Rerumpublicarum molimine & potentia, ſine vllo ærarij ſui Regij ſenſu, facili negotio conſequetur.

PELAGIVS.

SVMMVM mihi, iam abhinc biennio & ampliùs, fuit tecum, clariſſime Bonauentura, coràm agendi deſideriũ, vt quæ ad bellum reſque Belgicas attinent, amicè ac ſincerè me edoceres: ſcio namque, à nemine mihi aut fideliùs, aut certiùs, tum quæ iam antè toto Belgici belli tempore contigêre, tum quæ adhuc futura imminent & exſpectantur, poſſe enarrari. etenim & ætas tua grauior, vtpote iam annos octoginta tranſgreſſa, & ſumma rei bellicæ peritia atque experientia, mihi irrefragabilis inſtructoris inſtar futura ſunt. Quis enim te potiùs, quoad omnes euentus & ſucceſſus id ipſum præſtet; vtpote qui vnà cum Duce Albano ad bellum Belgicum ex Hiſpania profectus es, & annis plus quinquaginta

ginta, varijs muneribus bellicis cum laude defunctus, arma tractasti?

BONAVENTVRA.

Hanc mihi voto desiderioque tuo vsquequaque satisfaciendi occasionem oblatam, non minùs sanè gaudeo, quàm ipse posses. etenim volupe mihi & honori futurum est, ad singula interrogata respondere; cum fide tamen, quantum in me erit; adeò vt nec gentis nostræ negligentiam propugnaturus, nec hostis generositati & industriæ vel in minimo sim derogaturus. hoc quippe canos & annos dedecet meos; cùm præter sempiternam apud Deum mercedem aliud mihi iam in vita exspectandum non restet, nullumque, illo vno excepto, à cuius benignis manibus vita mea omnis dependet, me timere oporteat.

PELAG. Non possum non ingentes de insigni hoc tuo in me affectu tibi gratias agere. Vides namque ætatis meæ imperitiam, vt qui quartum & vigesimum necdum transgressus sum annum: aueo proinde, quàm fieri potest breuissimè, res Belgicas per te edoceri, vt, si fieri queat, vel horæ spatio ediscam, quod ipse vix quinquaginta annorum vsu edidicisti. Et, ne te verbis frustraneis æquo diutiùs morer, scire ex te ante omnia velim, in quo potissimùm Dux Albanus deliquerit.

BONAVENT. Paucis verbis, multa à me tibi

petis

petis declarari: & quis ego, qui magni illius Ducis gesta factaque sugillem, aut eius errores alijs diuulgem? imò quis, eius loco si fuisset, in terra ignota non turpiùs impegisset? quis, vndequaque ab hoste cinctus & pressus, semper ita sibi in omni re fuisset præsens, vt non aliquando cespitasset, etiam cecidisset, aut à debito rationis tramite deflexisset?

PELAG. Non est quod timeas: solus hîc mecum es; abest hostis & æmulus, ac delator hîc nullus: ad postulata ergo mea respondeas, dubiaque mea dissoluas, obsecro.

BONAVENT. Nullatenus id tibi negare possum, vt nec aliud quidquam: dicam ergo de illo apertè, quod sentio, sine vllo, ne quis dicta carpat, ob eaque diem mihi dicat, metu. Semper ergo mihi Dux ille visus est errasse

Primò, in Belgicarum conditionum ac propensionum ignorantia; quæ non paucorum, & quidem grauissimorum, plerumque esse solet errorum mater.

Secundò, in morum asperitate & duritie, quæ apud Hispanos fortasse non displicuisset, apud Belgas non item. Tot annorum namque vsu experientiaque comperi, Belgas moderatam quamdam in rectoribus suis ac Dominis requirere affabilitatem, præuenientem seseque vltrò offerentem benignitatem, facilem & beneuolum, atque ab omni verborum, animi, vul-

tusque asperitate & acerbitate quàm remotissimum accessum. Non ducũtur nimiâ illâ Germanorum, qualis patres decet, grauitate; vti nec nimiâ illâ Gallorum, quæ matrum est, affectus profusione: verùm moderato quodam & amicabili affectu ac beneuolẽtia, qui nec effundat se nimiùm, nec subducat quasi videri fugiens, latêre gaudens. In quo, meâ quidem sententia, Dux errauit, dum prouincias has eodem prorsus, quo barbaros & Indos bello subactos, inq; seruitutẽ natos, modo regi debere censuit. Qui sanè, non minimus eius fuit error: cùm nullam orbe toto reperire gentem sit, minùs seruitutis patientem, quàm Belgas; vtpote quibus omnibus innatum est, mori malle, quàm fœdè & turpiter cuipiam famulari.

Tertiò, in diffidentia de Belgis, quæ in ijs vicissim nouam de Duce diffidentiam gignebat. Hinc sinistræ vtrimque pullulare suspiciones, hinc alter metuere alterum, hinc quoque incredibilis animorũ alienatio, & indiscreta nasci æmulatio, quæ omnia tũ verba, tũ facta quàm potest pessimè interpretari, bonamq; intentionem in deteriorẽ commutare gaudet. Vbi tabes hæc semel animum occupauit, vix ei peritissimi medici medelam adferant: postquam enim semel diffidentia in hominũ animum irrepsit, inque intimis eius fibris radices cœpit agere, vix eam quis, nisi simul & vitam & animam, euel-

euellat. Quidquid enim promiſeris, quidquid donorum æmulo contuleris, imò effuderis, ſiniſtri quid moliri velle iudicaris; quoq́ue ſe affectus ampliùs & cordialiùs effundit, eo etiam magis liuida increſcit ſuſpicio, vtpote ſemper verita ne quis ſub ſpecioſo hoc velamine lateat dolus, ne quod pretioſis hiſce lancibus, & ſapidis edulijs immixtum ſit toxicum & aconitum. adeò quidem, vt plerumque nō aliter hæc exui ac ſeponi poſſit diffidentia, quàm vel inſigni aliqua partis alterutrius oppreſſione, vel vniuerſali internecione, vel denique probroſa ab armis ceſſatione, aut pace ſatis infami.

Quartò, in nimia de ſe ipſo fiducia: quòd videlicet nihil vſq; adeò putaret arduum ac difficile, quod non ſe vel ingenij ſui acumine ac ſagacitate, vel armis ſuis victricibus, felicem ad exitum ſperaret poſſe conducere: cùm tamen conſtans ea ſit apud omnes orbe toto ſapientes viros opinio, nomen ſapientis non mereri, quiſquis ſuis in rebus vno ſuiipſius nititur iudicio, nec alienum dignatur inquirere.

Quintò, in hoſtium ſuorum contemptu & deſpicientia: atque hæc, vnica ipſorum corroborationis & incrementi fuit cauſa. Ac velut, dum quis paruum quoddam in corpore vulnus, exiguum initio morbum, pauculas in domo ſua ſcintillas loco indebito ignientes negligit; valetudinem, vitam, & fortunas denique

ſuas omnes extremum in diſcrimen conijcit: ſic ſe periculo apertiſſimo exponit is, ſuum qui hoſtem ob paruitatem deſpicit, eumque interea per otium increſcere ſinit, vſque dum numero & viribus cum contemnente conferri & pariari queat. Sapientis ducis non eſt, hoſtem non curare, aut deſpicere. etenim quæ bonorum iactura, honoris amiſſio, caſtrorum, agrorum, prouinciarum, regnorum euerſio ex hoſtium ſecuta ſint contemptu, omnium gentium tum veteres, tum recentiores loquuntur hiſtoriæ.

Sextò, in prouinciæ & locorum illius ignorantia. Mirum, quàm irreparabile, varias apud gentes (vti domeſtici illarum produnt Annales) ſit è regionis, terræ, locorumque patriorum ignoratione damnum conſecutum, ſempiterna plurimorum illuſtrium ac magnorum Imperatorum cum infamia ac probro. Iam liquet, nihil vſque eò Duci noſtro nocuiſſe, quàm ciuitatum & arcium Hollandicarum ac Zelandicarum ſitum, oportunitatem, munitionem, robora neſciuiſſe. Si enim ſub aduentus ſui initium, cùm ſuis primum hoſtium impetum copijs feliciter ſatis fregiſſet, primarias tam Hollandiæ, quàm Zelandiæ, vrbes maritimas inuaſiſſet; facili vniuerſas haſce prouincias negotio ad obedientiam reduxiſſet, earumque manſiſſet dominus, & anno vix vno res omnis,

nemine

nemine obiicere ſe vel audēte, vel valente, fuiſſet confecta, & prorſus debellatum. A quinque, aut ſummùm ſex, ciuitatibus vniuerſa ea res dependebat; quibus ille occupatis, aut certè retentis, Hollandiam & Zelandiam, quæ Leonis Belgici velut frænum ſunt ac ferreum vinculum, æternùm Regi parentem atque obſequentem reddidiſſet.

Septimò, in arrogantia & ſuperbia, quòd fuſilem ex ære ſibi Antuerpiæ ſtatuam velut victoriarum teſtem ac monumentum, erigi iuſſit. Hæc lapis fuit, ad quem omnes vicinæ prouinciæ pedem offenderunt.

Pelag. Volupe ſanè mihi eſt, vniuerſa hæc ita ſingillatim ex te audire. non poſſum autem hæc non ſummopere in tam illuſtri Imperatore ac duce mirari; idque, poſt tantam armorum ſcientiam, quam ſub Carolo V. Cæſare ſibi parare potuit.

Bonavent. Ceterùm certum eſt, Albanum primis, quos ſæculum nuperum habuit, ducibus & Imperatoribus, ſi non præſtitiſſe & præcelluiſſe, comparari tamen poſſe & conferri. Habuit enim virtutes duci neceſſarias, non paucas, &

Primò, armorum ſcientiam & peritiam incomparabilem, vt qui ſummo ſub Imperatore Carolo V. varijs in prouincijs, nuſquam non ſe virum oſtendit.

Secundò,

Secundò, in omnibus expeditionibus erat interritus, immobilis & conſtans; in audacia autem prudens: vt nihil iuris vnquam hoſti in ſuos & caſtra ſua conceſſerit; nihil quoque inconſultò, temere, aut è leuitate quadam ſit aggreſſus: numquam denique ſeſe aduerſario nudum ac feriendum præbuerit.

Tertiò, etiam hoſte procul agente, caſtra, priſcorum Romanorum ritu, ſemper vallis & aggeribus communita vndique, nec non rebus omnibus neceſſarijs inſtructiſſima habebat, nihil omittens quod quomodocumque vſui eſſe poſſet. in illis verò diſſoluendis mirè erat circumſpectus, loca ad quæ tendebat, nec non vicina opida & pagos, per exploratores antè perſpecta habens. Eamdem & in caſtris locandis adhibebat prudentiam, cùm quæ ad ſuorum tum tutelam, tum alimoniam oportuna erant, ſemper loca deligeret.

Quartò, diſciplinæ militaris diligentiſſimus erat obſeruator: quam apud eum ſi quis infregiſſet, impune non habebat, & qui vel pullum à ruſtico ſuſtuliſſet, mox furtum luebat. Hinc fiebat, vt neceſſariorũ nihil vmquam eius caſtris deeſſet, & illo cum copijs tranſeunte, ruſticorum nullus, maleficium veritus, fuga ſibi ac rebus ſuis conſuleret: imò in felicitatis parte non parua ponerent, illius copias apud ſe habere; quòd magno cum compendio, at par-

uo cum labore, iam domi diuenderent, quæ aliàs magna cum difficultate ad vrbes vicinas conuehere deberent.

Quintò, in ſuis ad altiora munia euehendis, non tam generis nobilitatem ac ſplendorem, aut commendantium amicorum merita interuentionemque, quàm vnicam ſpectabat virtutem, & cuiuſq; promerita; etiam infimos quoſque, & genere obſcuriſſimos, ad Centurionum, Chiliarcharum, Legatorum caſtrenſium (quos vulgò *Maeſtros del campo* vocitamus) dignitatem euehere ſolitus; cùm eam virtute & fortitudinē iam commeruiſſent. Addebat hoc animum militi, cùm videret etiam ſibi ignobili & gregario, per virtutem & robur, aditum ad eminentiſſima in caſtris munia patere, ſeque pro virtute præmiandum; atque adeò in oculis ſe certare eius, qui nullum facinus abire ſinebat irremuneratum. Hinc nata hæc illius axiomata & apophthegmata: Si, vt oportet, caſtigaris delinquentem, præmio affeceris bene meritum; fortiſſimis caſtra tua viris redundabunt. Ruſticis, etiam in hoſtili agro, ſi parcas, ſemper de commeatu tuis abunde erit proſpectum. Menſtrua militi ſi numeres ſtipendia, in omnibus eum habebis obſequentiſſimum; nec vſquam ei tunc parce delinquenti. at caſtigare, & quod debes non exſoluere, nec remunerari; non hominum eſt, ſed belluinum & barbarum.

Sextò,

Sextò, ad corruptelas munerum erat inuictissimus, multò minùs cedens auro, quàm marinis fluctibus cautes; neque ipse solùm ab omni eorum acceptione erat quàm remotissimus, sed & omnium ea accipientium hostis: hinc suo eos arcebat contubernio, quos illis norat illaqueari solitos. Regi quoque suo fidelem vbique se præstitit, nusquam sibi in eius causa parcens.

Septimò, consilia sua & cogitata mentis tam alto premebat silentio, vt sæpè antè res confecta appareret, quàm cœpta aut incipienda sciretur. Vidisses in viro cogitationes profundas, verba rarissima, & mirā in omnibus sibi fideique suæ concreditis taciturnitatem & silentium: vt subinde, nec bellico imperio, nec Regum consilijs, nec rerum magnarum executioni, eum diceret admouendum qui linguæ nesciret imperare. adhæc numquam ignoscendum in viris delictum esse, tacere nō posse; ad omnia eū munia, & præsertim castrensia, ineptum censens, qui linguā non posset moderari. Hæ sunt primariæ, quas in ipso notaui, virtutes, quas ea quæ cōmemoraui vitia nonnihil inobscurant, ne dicā imminuunt. Sed noris oportet, vix vllum iam inde ab orbe condito, quantūuis magnū, ducē fuisse, in quo non semper ij quibuscum egit, aliqua desiderarint, & nō paucos, magnas inter virtutes, defectus obseruarint.

PELAG.

Pelag. Summopere gaudeo hæc ex te audiiſſe, quæ ſuo mihi tempore etiam vſui futura ſunt, vt horum quædam imitari, alia ſtudeam euitare. Porro, quid de Magno Commendatore Ludouico Requeſencio tibi videtur?

Bonavent. De hoc, quòd quàm breuiſſimo tempore ſummæ rerũ præfuerit, pauca dicenda ſunt: hunc tamen omnes paſſim, vt virum bonum, Dei timentem, atque in omnibus ſincerè, ſine fuco & vllo humano reſpectu procedentem ſuſpexere. Quod enim animo ſentiebat, hoc lingua promebat: neminem quoque circumueniebat, ſed aiens aiebat, negans negabat. Omnium adhæc virtutum cultor erat ac fautor; ſupra modum affabilis, nulli loquenti aurem non accommodans, & ad audita quàm humaniſſimè reſpondens, bonis item deſideriis plenus. Qui ſi maiorẽ in aduerſis conſtantiam, & infractum animi robur, æmulorum quoque, detractorum, ac maleuolorum, qui illum cùm in Hiſpania apud Regem, tum in hiſce imperio ſuo concreditis prouincijs malignè traducere ſatagebant, contemptum maiorem prætuliſſet; næ ille inter optimos atque illuſtriſſimos, quos vmqùam habuit Belgium, Gubernatores numerari potuiſſet. At præpropera & inuida Belgio mors, omnes eius præclaros conceptus & molimina ſubuertit.

Pelag. Quid autem de Ioanne Auſtriaco

conſes?

censes? quod ducum, qui sub eo militarunt, de illo iudicium?

Bonavent. Nulla dotes eius verba satis queunt exprimere: nescio enim, num magno celebrique Imperatore digna virtus vlla ei defuerit. Animositate enim præstabat quàm qui maximè, vti & munificentia & humanitate. laborum quoque erat tolerantissimus, adhæc prouidus, circumspectus, gnauus, impiger, nullius occasionis negligens, at in omnē excubans; consiliorum quoque deliberatorumq́; seruantissimus, in promissis fidus, eloquentiâ præstās, ingenio simul & memoriâ magnus (quæ duo rarò in vno simul reperias) in expeditionibus suscipiendis fortunatus; consulta antè, quàm executioni mandaret, maturè examinans, & omnem in partem versans; in illis autem peragendis fortis, & infractus. Consulentes alios haud inuitus audiebat, alienumq́ue consilium melius, suo postposito, sequi non pudebat. Militem fortem non secùs ac fratrem complectebatur: hinc nulla eius bene facta indotata sinebat. Disciplinam autem militarem legesq́ue castrenses exactissimè seruabat, benemeritos præmians, & in delinquentes animaduertens; ita vt sub illo nec virtus vlla indonata, nec crimen esset impune. In bellis denique indefessus erat & martialis, at extra arma placidus, & in contubernio iouialis.

Nihil

Nihil autem in eo culpo, quàm quòd, dum primùm Belgij gubernacula capeſſit, Pacificationi Gandenſi ſubſcripſit, ab Eccleſiaſticis quibuſdam viris ad illi ſubſcribendum inductus. Factum hinc, vt, fortiſſimo milite aliorſum iam ablegato, nudum ſe & inermem armatis hoſtibus quodammodo expoſuerit. In quo cùm non multò pòſt ſe peccaſſe videret, Bruxellâ & Mechliniâ fugere coactus, quò vitæ conſuleret, inſigni aſtu & arte, per ſpeciem inſtituendæ venationis egreſſus, in Namurcenſem arcem, vnicũ vitæ tuendæ præſidium, ſeſe ſubduxit, & amandatum extra Belgium militem reuocare compulſus fuit. Video eum præterea, ob confictam ab æmulis calumniam, qua apud Regem fratrem tamquam Belgico inhians imperio inſimulabatur, plus æquo animum deieciſſe. quâ cùm nonnullos, ad ſiniſtrè de eo ſentiendum, permotos vidiſſet, morbum contraxit, qui eum haud multò pòſt, incredibili & irreparabili orbis Chriſtiani cum damno, in florenti ætate ſuſtulit.

PELAG. Inauditum id hactenus mihi fuit; gaudeo proinde rei veritatem ex te, ſimul & magni huius Imperatoris virtutes ac dotes audiuiſſe; adhæc, quàm peſtilentes & noxij ſint in Regum ac Principum aulis detractores, & alienæ virtutis ac gloriæ corroſores; quàm denique, apud nullum non Principem, vel nu-

dum arrogati imperij nomen ſit odioſum, & variarum ſuſpicionũ ſeminarium; atque adeò, non tam oculum ad rei deforis accidentis contactum indolere, ſeſéque contrahere, quàm cor Regis ad minimam regni ab alio inuadendi ſuſpicionem. hæc etenim, vtcumque parua, vtcumque caſſa & falſa, ſemper aliquam in eo diffidentiam generat, & plagam infert: è qua deinde innumera ſequuntur mala, quæ extremam florentiſſimis etiam regnis perniciem attulerunt. At quid de Duce Parmenſi, qui potiſſimam Belgij partem Regis ad imperium reduxit, & ſub quo variis ipſe muneribus caſtrenſibus perfunctus es, ſentis?

BONAVENT. Multum Parmenſi debere me fateor, non tam ob accepta ab eo beneficia, quàm ob inſignes & heroicas quæ in eo eluxere virtutes; tum verò ob eam, quæ illius operâ & induſtriâ, Regis noſtri imperio facta eſt, nemini non notiſſimam, acceſſionem: vt eum primariis qui orbe toto, & omni ætate extitere, ducibus meritò cenſeam annumerandum & comparandum; præſertim, ſi locorum Belgicorum, illo gubernacula capeſſente, ſtatum, munitionem, hoſtium multitudinem, Regum, Principum, ac Rerumpublicarum exterarum auxilia, hoſtem tum milite, tum auro iuuantium, conſideremus; & quòd in Belgium primùm veniens, præter Luxemburgenſem & Namur-

Namurcensem agros, vix locum haberet, cui tutò militem concrederet. Prætereo, vno eum tempore iussum à Rege fuisse, in Gallia simul & Belgio bellum gerere; & non rarò tanto rei nummariæ cùm defectu, vix vt quisquam credat, ac non solùm annuos suos prouentus soluendo militi insumpserit, verùm & paternas possessiones, ære alieno intolerabili grauatas ad filium transmiserit. Illustria illius facinora orbi quà patet notiora sunt, quàm vt referri conscribique opus habeant.

Nihil in eo desiderasses, quòd quis in magno illustrique Imperatore. In penè omnibus namque expeditionibus fuit felix, munificus in obuios, humanus etiam in minimos, prudens, sagax, sollers quàm qui maximè; ad clementiam propensus, in periculis intrepidus, in quæ tamen nec se, nec suos, temerè & inconsultò coniiciebat; in omnibus agendis cautus ac circumspectus, & exigente necessitate interritus & infractus. regiam quamdam in cunctis operibus, in mensa, aula, supellectile, familia, comitibus, munerum erogatione magnificentiam ac generositatem spirabat. nullus eum fatigabat labor, nulla deiiciebant pericula: hinc vidisses in aduersis patientem & sperantem meliora, in bonorum iactura constantem, & velut sensus expertem. De generositate quid dicam? vt etiam morti iam proximus,

imò mortuo quàm viuo similior, nouam in Gallos expeditionem Rege iubente moturus, equum conſcenderit. Demùm in deliberatis, iam antè maturè excuſſis, exequendis fuit immobilis, in priuata verò conuerſatione ſubtiliter acuteque inuentis præſtans; nullum denique nationum agnoſcebat diſcrimen. Inter hæc tamen, fuere nonnulli, qui ſuæ gentis hominibus plus nimio eum crediſſe cenſeant; & ob falſas de luxata nonnihil illius in Regem fide, in Hiſpaniam miſſas delationes & calumnias, plus quàm par erat ſe deieciſſe. atque hinc eum, contractâ tabe, mortem ſibi acceleraſſe, communis multorum eſt opinio.

PELAG. Recreant hæc me, & in magni huius Alexandri virtutum geſtorumque admirationem rapiunt; ſimul & ſtomachum mihi mouent, cùm tantum virulentis illis ac perfidis ſuſurronibus, in inuictos illos Heroas, quos nulla frangere, aut de ſtatu mentis deiicere potuerũt arma, nec vis hoſtilis, iuris eſſe video. At Archiducem ERNESTVM quem fuiſſe dicis?

BONAVENT. Meritò hîc cum Poëta exclamẽ:

Oſtendent terris hunc tantùm fata, neq; vltrà
Eſſe ſinent.
Heu pietas, heu priſca fides!

Indignæ ſanè prouinciæ Belgicæ fuiſſe videntur, quę tanto bono ac viro diutiùs fruerentur. Erat enim in moribus maturus, in conſiliis ſolidus,

lidus, in verbis & operibus ſerius, in promiſſis fidus; virtutum omnium, & pietatis inprimis, cultor; orationi mirè deditus, vitæ integer, ab omni mulierum familiaritate alienus; in verbis breuis quidem, ſed profundus; iuratus mendacij hoſtis; adulatores, ſuſurrones & detractores cane peiùs & angue deteſtans; diuiniſſimi Altaris Sacramenti cultor & venerator aſſiduus; in clientes, fidos tamen & probatos, effuſus & propè prodigus, nullum obſequium virtutemque indonatum paſſus; in pacē denique quàm bellum propenſior, hoc tamen non minùs ſedulò curabat atque illam. Multa quidem ad Belgij bonum ſalutemque ſpectantia exequi decreuerat vtiliter; ſed, dum commodam ad eadem efficienda oportunitatem præſtolatur, Deus eum è vitæ ſtatione euocans, bene cœpta abrumpit, vt ei pro virtutum merito coronam, ac beatæ æternitatis lauream apud ſuperos pararet, illius in locum Magnum ALBERTVM, qui poſt Fontanum Comitem res Belgicas, primò vt alienas, dein vt proprias, curaret ac regeret, ſuffecturus.

PELAG. Deplorandum ſanè ac miſerum, magna non diu ſtare, ſed ilicò intercidere; quaſi ſi magnitudo & diuturnitas ſimul ſtabulare & agere neſcirent. De Fontano ergo Comite ecquid videtur?

BONAVENT. Fuit is haud dubiè inter omnes

Principes & Magnates,longè felicissimus:breue namque imperium benè gestum,omnes benè de eo sentire fecit.Generosus erat vt pauci, & fortunatior quàm vulgò militares solent;infractus & interritus, nullas difficultatum aut discriminum remoras exhorrens, periculaque tam intrepidè deuorans,quàm alius pultes sacharatas. alloquio accessuq; erat facilis, in aliis audiendis comis ac blandus; in tentanda fortuna effusior,quàm retractior;in aggrediendo audax,in vrgendo promouendoque audacior. Regi suo fidelem per omnia operam præstitit. In reos sine vllo personarum discrimine, pro delicti grauitate, animaduertebat, tam in castris,quàm ciuitatibus, tam domi quàm foris, exactissimè disciplinam iubens seruari. Quòd autem feliciter satis habenas Belgicas sit moderatus, hinc bonam apud omnes Europæos Principes de se opinionem concitauit,& optata pauculorum annorum felicitas magni illi & fortunati ducis nomen orbe toto peperit. Hæc sunt, quæ mihi in præsens de Comite illo dicenda occurrunt: credo equidem, si diutiùs præfuisset, non benigniùs illi à pestilentibus æmulorum linguis futurum, quàm fuerat superioribus, & in eadem, qua illi, amaritudine & luctu eum vitam terminaturum fuisse. Hæc namq; ordinaria, & penè communis,omnium Rectorum & Imperatorum est merces.

Pe-

PELAG. De ALBERTO Archiduce, qui per nuptias Belgicarum prouinciarum Dominus ac Princeps factus eſt, quid opinaris?

BONAVENT. Non ſunt hæc huiuſmodi, vt tribus ea verbis tibi queam exponere: qui enim Magni illius ALBERTI virtutes enarrare tentet, is maris quà profundiſſimum eſt, fundum bolide explorare contendat; cùm nulla eſſet virtus, quæ non in Principis illius pectore ſedem ſibi ſtabilem delegiſſet. Etenim ſingularis illius erat caſtimonia, ne vel indecentius in quopiam verbum ferens; ſui, ac ſuorum omnium, cuſtos erat integerrimus, & iuratiſſimus omnis fœditatis hoſtis. Liberalitas eius, maximè in res pias & pauperes, tanta, vt centena per annos ſingulos millia in illas erogaret. Piam in Deum diuinaque mentem nullus exprimat calamus, lingua nulla; quâ etiam Regibus ac Principibus omnibus vt fax præluceat: quotidie enim multas orationi horas impendebat, etiam tum cùm in caſtris ageret; ſacrificio quoque Miſſæ ſingulis diebus intererat, cùm valetudo permittebat. adhæc Virginis-Matris cultor erat indefeſſus, illius nomini dicata loca & oratoria tum precibus ſuis, tum regiis donariis honorans; nulla penè vt eſſet ædes atque altare, quam, in Matris ſuæ gratiam, ſingulari miraculorum prærogatiua honorabat Deus, quam non ſuis ALBERTVS muneribus honoraret. er-

ga ſanctiſſimum denique Euchariſtiæ Sacramentũ ita afficiebatur, vt,quoties illud geſtans ſacerdos ei per viam occurreret, ſemper illum, ad infirmorũ etiam domos,ſequeretur ; in quo magni illius RVDOLPHI Auſtriaci,qui ob delatos ſacræ huic hoſtiæ honores, primum inclytæ & perilluſtris Auſtriacæ domus potentiæ fundamentum poſuit, ſuper quod duodecim continua ſerie Imperatores (vt innumeros taceam Reges ac Principes) inædificati,terrarum orbem gloria & triumphis repleuerunt,exemplum eſt ſecutus.

Poteſt,præter hæc,non ſine ratione,omnium ſuæ ætatis Principum ſapientiſſimus nominari, vt qui vniuerſos Conſiliarios ſuos acumine,maturitate, prudentia , ingenij dexteritate longo interuallo præcurreret; quæ pòſt futura erant, eminus præuidens & ſubodorans, quin etiam neceſſaria,in tempore, priuſquam eſſet ſeriùs, remedia obiiciens. In verbis ita erat breuis,vt tamen nec neceſſariorum aliquod omitteret, nec fruſtra vllum proferret, vtpote ſententiarum vberior quàm verborum. Memoriæ ita tenacis,nihil vt illum fugeret; & ad triginta,etiam quadraginta,maximi momenti poſtulata, eodẽ tempore propoſita, ſingillatim eo prorſus quo petita erant ordine,nonnumquam reſponderit. In conferendis dignitatibus tam ciuilibus,quàm Eccleſiaſticis,ad ſtuporem vſque

pru-

prudens, &,quod rariſſimum, ſupra modum felix. Virtutum omnium vti cultor erat, ita fuit & admirator, & quos virtute quapiam noſſet eminere, eos pro ratione ſtatus euehere ante alios ſtudebat. Iudicij adeò perſpicacis & lyncei, vt vel ſemel viſum hominẽ intus & in cute noſſet, tamquam ſi decennium illo familiariter eſſet vſus. Innata ei licèt eſſet Regia vultus & verborum grauitas, comis tamen in primis erat ac facilis; & quos ab emicante maieſtate veluti ſideratos & conſternatos cernebat, ſuo ipſe vltro alloquio recreabat, ac velut ſibi reddebat. In promiſſis erat conſtans, neminem fallens, nihil cuipiam quod non præſtaret, addicens. Ingruente deſubitò difficultate nequidquam de ſede mentis mouebatur; ſed quæ facere decreuerat, intrepidè perurgebat. incidentia pericula, inopinatum damnum, graues aliorum minas, & arma intentata, non ſecùs deſpectabat, quàm ſi leoninum illi, non hominis, cor fuiſſet. Nihil vt fuerit vmquam, quod illum aut ab addicta fide, aut verbo dato, aut eo quod rationi foret conſentaneum, dimouerit; quòd illius conſtantia & mens eſſet immobilis, & rupem quis ante, quàm ratione nitentem illius animum, de loco mouiſſet. Hoc perſæpè ei in maximi momenti rebus vſu veniſſe vidimus, quarum etiam felix & optatus fuit exitus: magis vt vno illius verbo, & nuda ſpõſione, quàm

 vali-

validiſſimo propugnaculo niti quis poſſet.

Vultus illi ſemper ad placidam lenitatem, ad iracundiam, feritatem aut toruitatem numquam compoſitus. ſic & verba ſemper æquabilia, matura, & in rebus aliunde incidentibus, lætis, triſtibus, paruis iuxtà ac magnis, ſolita temperie referta fluebant; ſemper vt ſui eſſet ſimilis, nec verba, nec colorem ſubitis in caſibus mutaret, vultumúe contraheret, ac ſi omnis ſenſus fuiſſet expers. In ſermone ita ſedatus apparebat & compoſitus, quaſi verba octiduo antè eſſet præmeditatus; vnde fiebat, vt & nullum proferret non neceſſarium, & neceſſariorum nullum prætermitteret. Omnia denique illius tum dicta, tum facta, ex arte compoſita dixiſſes; quibus, niſi omnem ſenſum illorum & artem peruertere velles, nihil addi, demi nihil debere aut poſſe videbatur.

A mendacio ita erat alienus, numquam vt illud protuliſſe auditus ſit, & Principis eſſe diceret longè ſupra omne mendacium eminere; ipſum, euidens animi timidioris, etiam perfidi, ac fallere cupientis, (quod Principis magnitudine nimis quàm indignum eſt) ſignum eſſe exiſtimans. hinc vniuerſa eius verba ab omni erant mendacio fucoq́ue aliena, at ſincera, & cum eo quod pectore claudebat, mirè colludentia.

Nemo illum, aut ob proſpera plus æquo gau-

gaudentem, aut ob aduerſa vultu deiectiorem vidit; nemo quoque vlli præterita præſentiaq́; exprobrantem beneficia audiuit. In morbis omnibus (quos habuit multiplices) tantā prætulit conſtantiam, vt ſupra hominem ea eſſe videretur: hinc eum in torminibus aut cruciatibus nemo audiuit queritātem, nemo vultum ſolito vidit contractiorem, nemo oculos dolorem teſtantes, nemo frontem rugatam, nemo os contortum, nemo colorem natiuum immutatum, aut vultum præ pallore luridum, ne quidem in ſupremo vitæ articulo, cùm iam intaminatum in ſummi Iudicis manus ſpiritum eſſet emiſſurus.

In bellis porro, media inter arma ita agebat interritus, & in caſtris vrbiumq́; obſidiis adeò ſecurus, tamquam ſi per amœniſſimum domi hortum ſatellite multiplici cinctus obambulaſſet; centuplo plus animi præferens, quàm corporis vires paterentur. tam quoque intrepidus vera inter arma, eorumq́ue diſcrimina verſabatur, quàm domi aliquis inter picta in aulæis bella & maris tempeſtates, nullum caſum aut inexſpectatò incidens periculum extimeſcens; tamquam ſi vitæ diſpenſator Deus aliunde incurrentium malorum eum ſecurum eſſe iuſſiſſet, & ipſe plures Bruxellæ in arca recluſas habuiſſet vitas, quas, vnâ ſub armis amiſſâ, redux ex ordine reaſſumere poſſet. Si vidiſ-

vidiſſes equo inſidentem, de priſcis aliquem heroibus (adeò ſcitè & decorè eum moderabatur) videre te putaſſes: &, quia ſcientiarum omnium, ac Matheſeos inprimis, gnarus erat in paucis, hinc munitionibus caſtrenſibus coràm inſpiciendis, tum veris, tum vmbraticis, ſummopere capiebatur. Ne verò te diutiùs verbis detineam, ita vniuerſa illius vitæ ratio, adinſtar horologij contemperata erat, vt etiam in cibo, potu, ſomno, omnibuſque homini neceſſariis exercitiis eo nemo poſſet eſſe moderatior, & magis ad normam compoſitus: vt omnis illius vita portentum eſſe potiùs, quàm hominis vita videretur; ſimul & omnium virtutum prototypon, ad quam non Reges ſolùm & Principes, ſed & Religioſi, qui ſe à rerum mundanarum turbis & ſtrepitu Dei cauſâ ſequeſtrarunt, vitã componant ſuam. Ita quippe ſeruiebat Deo & virtutibus, tamquam ſi non aliud totâ vitâ feciſſet; ita omnibus prouinciarum ſuarum commodis & neceſſitatibus conſulebat, ac ſi nullis præterea rebus intendiſſet.

Quantus omnium ſæculi huius magnitudinum atque honorum fuerit cõtemptor, tum liquidò teſtatus eſt, cùm oblatum ſecundò ab Electoribus Imperium, antè quàm & frater illius MATTHIAS, & FERDINANDVS ad id aſſumerentur, repudiauit. Quàm enim paucos reperire eſt, qui oblatos ſibi vel faſces, vel ſceptra,

&

& diademata generosè reiecerunt! quàm pauci, etiam eorum qui omnem ſæculi faſtum & pompam peroſi vni Deo ſeruire ſe velle aiunt, ſublimiores gradus ſubterfugiunt, cùm ad eos capeſſendos, non dico compelluntur, ſed tantùm deliguntur aut inuitantur!

Pelag. Poſtrema hæc longè me, quàm priora, magis recrearunt. Sed quid tandem Belgio huic fiet? quouſque omnes ſuos Rex noſter theſauros illi iuuando inſumet? quamdiu fertiles auri meſſes, quas illi quotannis profert India, vni huic fruſtra impendet? Supra bis centum & quadragenos auri milliones bello Belgico Reges noſtri inſumpſere; &, cùm ante id vix vllæ in Belgica eſſent opes, iam paſſim prouinciæ ſingulæ auro & argento abundāt. crediderim noſtris omne, quà patet, Belgium ducatis propè poſſe conſterni; & interim Hiſpaniâ totâ aurum & argentū iam exulat, illiuſq; in locum ærea de Belgicis cacabis procuſa pecunia ſucceſſit: ſæpè vt putarim, ſatius & conſultius facturum Regem noſtrū, ſi haſce prouincias repudiando deſereret, quàm vniuerſum theſaurum illis tam irrito euentu prodigè impenderet. Hac ille ſibi pecunia vniuerſæ Africæ imperium haud ægrè paraſſet, & ſparſos per Indiam regulos Hiſpanico ſceptro vectigales feciſſet. Quod verò maximè deplorandum, nondum belli finis, nondū prouincia

aliqua

aliqua de hostilibus Regi accessit. hodie enim Regij vrbem aliquam occupant, cras aliam rebelles, in orbem velut vicesalternando; & post tot annos eodem res manet in statu, nulla notabilis obtinetur victoria. Itaque non solius Hispaniæ, sed & omnium ei subiectorum regnorum, exhauriuntur opes, incolæ, potentia, nerui; idque irrito semper conatu, & orbis totius cum explosione, cùm vniuersam cum suis opibus & regnis per orbem sparsis Hispaniam, duabus tribusue prouinciis, & paruis quidem, sexaginta propè annis iugum imponere non potuisse videt.

BONAVENT. Erras, mi Pelagi, erras, & quidem grauissimè, dum Belgicas hasce prouincias tam parui facis. sed ignoscendus error, illas ignoranti. Etenim non semel, sed sæpiùs, non vltimos gentis nostræ proceres & nobiles, qui Belgium frequentarant, audiui, dicentes, si sibi aut Hispaniæ, aut Belgij possidendi optionem regnorum dator faceret Deus, illam huic se postpósituros. Nec id tute miraberis, si vniuersum Belgicarum prouinciarū corpus iunctum consideres. An Murciæ, Valentiæ, Cantabriæ, Aragoniæ, aut alteri cuipiam Hispaniæ regno Belgium par existimas? Plures sanè id ambitu suo, non adeò magno, elegantes, magnas & copiosas vrbes complectitur, quàm vniuersa Hispania simul & Lusitania, quàm etiam tota aut

Italia,

Italia, aut Gallia, aut Germania, imò plures quàm iunctim Italia & Gallia. Illius, & ciuitatum eius, ea eſt munitio & potentia, nullum vt in orbe regnum habeat munitiores. Agrorum & nemorum amœnitas, eorumque diuerſus aſpectus, nullo ſatis exprimi calamo, nec verbis poteſt. Ea quoque maris, ac fluuiorum, quibus paſſim ceu venis corpus hoc Belgicum interſecatur, eſt oportunitas, vt nulla ei quoad hoc regna paria ſis viſurus.

Terræ totius is eſt prouentus & vectigal, vt, ſi vni vniuerſa Principi parêret, & Batauicarum quæ modò eſt forma regeretur, quindenos auri milliones & amplius in annos ſingulos ei penderet. Imò libelli cuiuſdam, anno ſuperioris ſæculi nonageſimo Amſterodami euulgati, auctor ſcribere non eſt veritus, è ſeptemdecim hiſce prouinciis quotannis centum & quinquaginta florenorum milliones facili redigi negotio poſſe, ſi Primò, immobilia; Secundò, eſca omnis & potus, vſuque conſumptibilia; Tertiò, inuectæ euectæque merces, nonniſi mediocri & moderato tributo grauarentur. Quod ille quidem ad oculum oſtendere ſe poſſe putat, & de facto conatur; at ego id aſſerere nec velim, nec auſim: quòd æquo maior ea argenti vis videatur; tametſi auctor eam nullo negotio ſubducat. Nam ſi vel ſolam cereuiſiariam cõſumptionem conſideres, com-

comperies hiſce in terris quotannis pluſquam quinquaginta ſupra centum vaſorum cereuiſiæ millia bibi & conſumi. ſingulis tam patriæ quàm externæ cereuiſiæ vaſis indiſcriminatim binûm florenorum grauamen imponatur, denos florenorum milliones annuè hinc rediges. Tranſitum deinde ad vinum fac, & videbis pluſquam tricena Rhenani, Gallici etiam plura, Hiſpanienſis vini minimum quina vaſorum millia in Belgium aduehi. ſingula pocula maiora quinque graua ſtuferis, & quatuor facilè florenûm milliones reperies. Si in potu hoc grauamen toleretur, non ſunt ab eo frumentum quodlibet, caro, butyrum, caſeus, piſces, lignum, ceſpites, aromata, ſacharum, rubia, ſal, oleum, acetum, lupulus, alumen, ferrum, plumbum, ſtannum, æs, hydrargyrum. gallæ, plumbago, ſulphur, minium, rubrica, ſalpetræ, aliaque terris effodi ſolita; ſaxa, muſcæ Indicæ colori firmādo accommodæ, tabacum, ſmegma, & quidquid ad hominis veſtes & ornatum quoquo modo neceſſarium eſt aut vtile, nec non reliqua quæ corpore conſumuntur, excipienda. & ſola conſumptibilia annis ſingulis quadragenorum millionum prouentum dare poſſe ad oculum videbis. Nec minor elatarum illatarumque mercium ſua per vectigalia erit prouentus. His bonorum immobilium ac domorum, & ſingulis hominum capitibus impoſitum

ſitum tributum adde; & incredibilem inde pecuniam, & ſupra centum florenorum milliones certi prouentus conficies.

Belgis porro ad victum & vſum neceſſaria, præter ſalem, oleum, vinum, domi omnia naſcuntur. nullum tamen reperias regnum, quod plura, aut magis varia, habeat vina; etenim Hiſpanienſe, Germanicum & Gallicum, tam in Belgio redundat, quàm in terris vbi natum, & ſub torculari gemuit. Ipſius quoque flumina ita piſculēta ſunt, & omnigenis piſcibus abundant, vt hinc quaquauerſum ad exteros euehantur. Veruecina & bubula mirè hîc ſapit; vti & auium tam altilium, quàm ſilueſtrium genus omne, quarum maxima hîc eſt vis. butyri denique & caſei ea eſt copia, vt butyro, caſeo & lacti propè tellus omnis innatet, & nonnemo non ſit veritus dicere, tantùm vnicā Hollandiam ſuis dare lactis, quantū ſuis Gallia vniuerſa vini. Lineo Belgium panno ita abundat, vt vniuerſum propè orbem eius faciat participem; vti & lanei, & aulæorū ſcitè textorum, quæ per omnia Europæ regna ac prouincias, etiam Turcarum imperium, & vſque in Sinas & Iaponios vltimos, Africam item & Aſiam, & alio ſub ſole calentem Americā auehuntur. Pictores habet & arte præſtātiſſimos, & numero plurimos, vt vnica Antuerpia, vrbs non adeò ampla, plures pingendi artifices alat,

quàm vniuerſa ſimul Germania, Gallia, Italia, Hiſpania. Quæ verò hîc fiunt opificia mechanica, opera & inſtrumenta, omnia terrarum exterarum opera elegantiâ & arte ſuperant. Incolas videbis linguarum peregrinarũ, etiam diuerſarum, ita peritos, vt in alienone quàm materno idiomate verſatiores ſint addubites; & non rarò, etiam mulieres, quinque diuerſis linguis loquantur; paucos quoque reperias, qui non ſaltem binas ternaſúe calleant.

In ſtudia & litteras naturâ propendent, & laborem eorum quàm aliæ nonnullæ gentes, ferunt faciliùs: quodq́ue longè pulcherrimum, nulli non arti ſcientiæúe ſeſe applicant, Iuriſprudentiæ, Theologiæ, Philoſophiæ, Matheſi, litteris humanioribus. Linguarum Græcæ, Hebraicæ & aliarum externarum, quibus doctrina traditur, cognitione, & imprimis Latinæ, ita excellunt, vt hanc quis iis natiuam exiſtimet: Latinè autem dum ſcribunt, eam ſpirant elegantiam, vt ſtupori ſint omnibus, adeoq́; nulla aut ars eſt, aut ſcientia, quam ignorent. Innatum quoque illis dicas, cum exteris omnibus ſine difficultate, faſtidio & diſſenſione conuerſari, illorum genio ac moribus quàm ſcitiſſimè ſe attemperando. Iouiales vt plurimum ſunt, in amicitia fidi, colore vultus eleganti, nec contemnendo; indole, complexione & ſtaturâ bonâ; robuſto, vegeto, & bene compoſito corpore.

re. Quid de deteriore feminarum ſexu dicam? acupingunt propè omnes, & in omni panni genere; in cultu & nitore corporis, domuſque ſupellectile, ad ſtuporem, ne dicam ſuperſtitionem, nitidæ; quodque mirere magis, non minùs ſolerter & induſtriè omnia mercimoniorum genera tractant, quàm viri.

Maritimæ & naualis rei cognitione quæ Belgicam gens ſuperet? iam orbem terræ enauigaſſe, apud eos ludus eſt. Qui vbiuis gentium, in exercitibus robore & audacia præſtant, Belgas eſſe comperies. Wallonicus peditatus audacia, generoſitate, conſtantia, & omni quæ militem decet dote, inter omnes gentes fert primas. Equitatu quoque valent & præſtant Belgæ omnes, at maximè Geldri, Campinienſes, Tranſmoſani, & illis vicini. In arcibus vrbibuſque communiendis nullos eis habebis pares, vti nec in operibus naualibus, maritimis, & aquaticis. In inueniendo indagandoque videbis ſolertes, in exequendo conſtantes & nauos, mille per artes & vias ad præfixum ſibi ſcopum peruenire conantes.

Quæ cùm ita ſint, mirum ſanè non eſt, tantum Belgio ſuo aut recuperando, aut tuendo, Regem auri inſumpſiſſe. quid enim ducenti ſunt & quadraginta auri milliones in ſexagenos quibus Belgicum durauit bellum, annos diſpertiti? quatuor pro annis ſingulis? aduerſa-

rios certè, quotannis nõ pauciores, tam è comestibilibus prouentibus & vectigalibus, quàm accepto à Gallis, Anglis, Venetis, & Protestantibus Germaniæ Principibus, auro redactos, insumpsisse comperiemus. Imò, nõ ita pridem Gallicum quoddam scriptum, sub nomine, *Aduis d'vn Theologien sans passion*, prodiit, cuius auctor vt certum asseuerat, Regem qui nunc est Galliæ Ludouicum XIII. pauculis annis bello quod aduersus regni sui rebelles Hugonottas suscepit, supra ducentos milliones impendisse; adhæc, septem vno eodemque tempore exercitus stipendiasse, duos terrestres in Gallia, vnum mari, quartũ aduersus Genuenses, quintum in Valle Tellina, sextum in Batauia, septimũ denique sub Mansfeldij ducatu; vt tamen auxiliares Palatino aliisq; Germaniæ Proceribus, Cæsari aduersantibus, & Danorum Regi submissas copias, iis non comprehendat. Proinde mirari non debes, sexaginta annorum bello, aduersus potentissimos Europæ totius Reges & Principes, Batauis sub signis suscepto, vltra ducenos & quadraginta milliones tum terra, tum mari Hispanum insumpsisse. potiùs mirari, eum in omnibus hisce bellis, tam variis tamque potentibus inimicis in partem venientibus, tam paruam impensam fecisse: cùm Regis è pecunia annuè submissa, plus in emeritos officiales, sti-

pendio-

pendiorum auctoramenta, Reformatos ministros, sumptuum tolerandorum subsidia (*adiudas de costa* vocant) aliasq; non necessarias impensas, quàm in defacto pugnantes & merentes milites quotannis sit insumptum.

PELAG. Quid audio? propè sum vt mentem & conceptum de Belgio iudicium mutem. Numquam enim mihi hæc in mentem, ne ad aures quidem venerunt.

BONAVENT. Vix mediam eorum quæ præsens apud eos vidi, partem tibi commemoro. Quod regnum aut prouincia, sexaginta propè annis intestinum & ciuile bellum ferat? & cùm summa illius moles penè semper Brabantiæ, Gelriæ ac Flandriæ incubuerit; illas tamē si inspicias, ita opulentas & feraces videbis, ac si hostem nullum, exercitus nullos sensissent. Incendio integri absumantur pagi, & quidem millenarum familiarum, anno, vel certè dimidio, vix elapso, ita videbis omnia instaurata, nullum vt deflagrationis appareat vestigium. In quo incredibilis Belgarū solertia, & indefatigabilis animositas elucet, quam sæpè mecum ipse tacitus sum demiratus. En tibi aliud animi Belgici argumentum. Tentarunt (intentatum id hactenus iam inde ab orbe condito) per Balticum Arctoaque glacie concretum pelagus (quis credat?) in Orientem penetrare, securibus sibi ac nauibus per glaciales illos montes,

iter parantes ac secantes, identidem noctu & interdiu, tractûs illius feris ac belluis epibatas infestantibus. Repete deinde tecum quidquid tam orientis, quàm occidentis Solis per Indiam & gesserint & tulerint, & nullos id Reges tentasse, aut fecisse hactenus deprehendes; mille per discrimina tam intrepidè ac securè nauigantes, ac si epulas adissent.

Intuere eamdem animositatem, etsi in causa non bona, etiam prudentiâ, versutiâ, simul & industriâ succinctam. An non Bataui ita rem suam egere, vt cum omnibus propè orbis Regibus & Principibus societatē aut fœdus iniecrint? Sic Gallorum Regum auro & milite, bellum sustinuerunt: sic Angliæ Regis, & omnium propè Germaniæ Principum suppetias annis singulis impetrarūt. Sic per vniuersam Germaniam turbas concitarunt, incolas eius ad iugum Imperatorium & domus Austriacæ excutiendum instigando; sic Gaborem ad res nouas moliendas, Turcam ad bellum Cæsari mouendum missis legationibus impulerunt: sic Palatino Bohemiæ coronam imposuerunt, Danum in Germaniam euocarunt, Sabaudo & Venetis auxiliarias copias miserunt; Rupellenses & Hugonottas Gallos ad Regi suo rebellandum animarunt. & ipsi interea, Gallorum socij, amici & clientes (in quo sanè magna opus dexteritate fuit & calliditate) mansere.

En

En tibi aliud æquè inſigne inſuperabilis illorum animi exemplum. Hi ipſi, tribus iam proximè elapſis annis, centum & ampliùs onerarias, rebus omnibus neceſſariis, armis. & in biennium trienniumúe duraturo cõmeatu optimè inſtructas naues, variis ſub ducibus, in Occiduum orbem, incomparabili diſpendio emiſere; quarum pars potiſſima noſtras in manus incidit, pars tempeſtate iactata diſperiit. Quarũ impendia ſi ſubduxeris, & vnicuique naui triennali ſuo commeatu inſtructæ, centum florenorum millia aſſignaris; vix decem millionibus claſſes illas parari potuiſſe comperies. Apud Orientales quoque Indos, non minorem, ſed (prout æſtimarunt nonnulli) etiam maiorem quàm apud Occiduos, nauium iacturam ſunt paſſi. Quod verò à Dunkerkanis tam in nauibus, quàm halecum piſcatu diſturbato & intercepto, tulere damnum, quinque florenorum millionibus vulgò æſtimatur. Viginti quoque millionum, Bredanæ obſidionis cauſâ, quod fecere impendiũ, nec ipſi diſſimulant, ſed ſcriptis editis euulgant: vti nec octo cum dimidio millionum æs alienum, cuius verſuram & fœnus mutuantibus quotannis perſoluunt. Nondum tamen animo cadunt, ſed ad terra marique nos oppugnandos identidem ſe parant; vt taceam, illos Dano menſtrua aduerſus Cęſareanos, tum militum, tum pecuniarum, ſubſi-

ſubſidia mittere;nouas quotidie naues inſtruere, & ad nuperam illam Britanniæ Regis aduerſus Hiſpanos, & Galliæ aduerſus Rupellanos,comparatam claſſem,non paucas cum Admiralio ſuo náues addidiſſe;aliis denique Proteſtantibus Principibus auxilio veniſſe.

Pelag. Meritò ſic cenſes: at mihi id numquam in mentem venerat. Verùm,cur tibi Belgicæ prouinciæ Hiſpano Regi adeò neceſſariæ & vtiles videntur, vt nulla eas ob impendia, opum patriarum euerſionem, ac labores, fas illum ſit deſerere.

Bonavent. Intuere primùm illarum ſitum. Galliæ,Angliæ & Germaniæ conterminæ,illarumque velut fræenum ſunt : vt quiſquis has poſſidet,multum ille in vicinos omnes iuris,& penè imperium habeat.

Secundò,ipſiuſmet Hiſpaniæ vallum quodammodo ſunt,& munitiſſimum aduerſus omnes, à quibus impeti poſſet, aduerſarios propugnaculum : ſolæ enim pluſquam ſatis ſunt, ad omnium Hiſpani nominis hoſtium impetum aut infringendum,aut excipiendum.

Tertiò,quamdiu harum prouiciarum Rex noſter dominus erit, non eſt quòd aut Galliam,aut Angliam,aut Germanos metuat. aduerſus Hiſpaniam enim inſurgere quî audeant, cùm timent,ne à Belgis(quorum is ſitus eſt,vt nullo non tempore in vicina regna impetum

facere

facere possint) domi inuadantur, & irreparabile damnum patiantur?

Quartò, vbi plenum Belgij Rex imperium habebit, habebit & maris, atque in eo orbis totius: & nullius Regis ea erit potentia, vt Hispanum, quamdiu mari imperabit, inuadere audeat.

Quintò, putásne, si prouincias Belgicas à se Rex abdicaret, fore vt, quos ipse habet æmulos & hostes, eum Hispania sua quietè frui sinerēt? Si, cùm Regis exercitum propè intra viscera sua habeant, Hispaniam nihilominus atterere & arrodere iam tentent; quid facturos putas ab hac timendi occasione iam liberos? Vides ergo, longè satius, securius & consultius esse, procul à sua Regem Hispania bellum alere, quàm id domi & in visceribus regni experiri.

Sextò, verum esse deprehendes, quàm rarissimè ea quæ latè patēt regna, ab armis quietem habere, & non semper aliquos eis aduersarios exoriri. cùm ergo alterutrum necessariò deligendum sit, præstat haud dubiè, foris & procul à sede Regia, belli palæstram statui, quàm in regni medio.

Septimò, prudentissimè sanè magni Reges, (quibus numquam potentes desunt æmuli) agunt, dum continuò, ad omnem inopinatum hostium incursum, exercitatum in armis militem, & varias peditū & equitum copias alunt,

quas, cùm opus fuerit, in aciem aduerſus aduerſarios educant. Regni quippe totius ſalus in diſcrimen adducitur, cùm repentinis in caſibus, in exercitatos nouus è tirocinio miles educitur. Regis ergo noſtri permultum intereſſe puto, quòd in armis natum & adultum, & belli peritum militem ſub ſignis continenter habeat, quem quocumqúe libuerit, mittat pro Rege ſuo vitam exponere promptiſſimum. Vt taceam, per aſſiduum hoc armorum exercitium & vſum, non paucos duces & Imperatores poliri, & velut exſculpi, quorum Rex operâ variis in prouinciis, pro rerum euentu, ſuum în obſequium vti valeat.

PELAG. Bene quidem prudenterq́; tu hactenus; at quomodo has ſub imperium ſuum prouincias Rex redigat? quis facere ſe poſſe dicat, quod ne primi quidem orbe toto duces, Albanus, Ioannes Auſtriacus, & Parmæ Dux, ne Magnus quidem ALBERTVS facere vmquam potuere? quæ ergo nobis, poſt tantum tantorum conatum, ſpes reliqua? nónne ſtultum, felicem aliquem poſt tot irrito euentu labores, exitum ſperare velle? Nihilominus quidnam hac de re ipſe ſentias, ſcire ex te velim, vt qui iam inde à belli Belgici initiis ad inducias vſque, omnibus vrbium oppugnationibus & prę-liis pro Rege ſuſceptis interfuiſti. Si enim fieri non poſſe putes, vt rebelles hi ſubigantur, & in

iura

iura Regia armis compellantur, cur tantas Rex noster ſine vlla profectus ſpe impenſas ſubeat? quis in irrecuperabilia & impoſſibilia opes effundat? non ſatius, aurum & militem domi tenere, quàm ipſum, ſine omni rebellium horum ſubigendorum ſpe, profundere, ne dicam prodigere?

BONAVENT. Bene dicis: cùm ſtultum ſit volantes per aëra velle aues coëmere; ſtultum, impoſſibilia ſperare; ſtultius, illis acquirendis theſauros, honorem, vitam & ſanguinem inſumere: & conſultius, pecunias arcâ continere, quàm temerè in minimè parabilia expendere. At numquam impoſſibile putaui, prouincias has ſub Regis noſtri iura poſſe redigi: etiam, poſt tam præſtantes ac magnos Imperatores, deſperare hîc nolim; & quamquam id arduum fore non diffitear, non is tamen rerum mihi videtur eſſe ſtatus, vt omnem penitus ſpem abiicere, animumq́ue deſpondere nos oporteat. Quis vmquam credidiſſet fore, vt Auguſtus meliùs ac ſecuriùs Rom. Imperium, quàm qui ipſum condidiſſet Iulius Cęſar, poſſideret? quis, vt Martius, duorum profligatorum exercituum Romanorum collectis reliquiis, iiſq́ue perexiguis, duos Pœnorum, victoriis prioribus etiam inflatos, exercitus cæderet? quis, vt Numantia, non ita magnum Hiſpaniæ opidum, viginti per annos variis Romanorum

exer-

exercitibus nō resisteret modò, sed & cladibus sæpè attereret, fugaret ac profligaret? Quis credat, Hollandiam ac Zelandiam, de septemdecim prouinciis duas, sexaginta ferè annis, aduersus potentissimum orbis totius Monarcham, non sua solùm defendendo, sed & Regias, variis orbe toto locis, ad Orientem æquè atque Occidentē, imò & in ipsomet Hispaniæ corpore, terras impetendo, terra marique bellum gerere potuisse? & huius belli incendio nondū sopito, sed vigente, sua in Germaniam, Bohemiam, Italiam, Galliam arma intulisse, & per vniuersum propè quà patet orbem eadem circumtulisse? Nihil vt sit, quātumuis arduum, quod, cùm animosè, prudenter, sapienter, constanter vrgetur, non optatum ad exitum possit conduci. Quis item credidisset fore, vt Ioannes Austriacus pugillo militū, validissimas instructissimasque Ordinum copias ad internecionem deleret? Quis, vt MARCHIO SPINOLA Bredam obsideret & expugnaret, penè ad dena passuum in circuitu millia ipsam vallis & aggeribus circumcingeret, ac ducētis castra sua propugnaculis cōmuniret, hoste permittente, nec se mouere auso? cumque hac in obsidione omnis castrensis apparatus & commeatus octo mensium spatio, terrestri octo leucarum itinere, & quidem curribus & carrucis, conuehi deberet; & ipso exercitu hostili, Gallicis ac Britan-

tannicis auxiliis ſuffulto, & Gallica, Britannica, aliarumque potentium Rerumpublicarum, Principum, ac Statuum pecuniâ collecto inſpectante; quis credat, toto illo tempore ne vnum quidem noſtrorum comitatuum ab illo aut tentatum, aut inuaſum? & Mauritium, poſt militarem tot annorum vſum, tot felices expeditiones, tot illuſtria ſtratagemata, non ſemel tum ſuis, tum Regum ſociorum armis, quibus cum poteſtate præerat, aggeres noſtros, & in illis erecta propugnacula, tam latè diffuſa patentiaque, aggredi auſum? cumque SPINOLAM paulatim copias colligere, vrbique admouere propiùs cerneret, ſuæ (qua valebat plurimùm) prudentiæ oblitum, de omnibus ad obſidionem tolerandam neceſſariis rebus vrbi ſuæ non meliùs proſpexiſſe? & cum omni Batauica ſolertia, cum omni ſua maritima potentia, cum omnibus acutè adinuentis alibi feliciſſimè ſæpiùs probatis, cum omnibus ſuis nauibus, cum hîc perfractis, alibi oppoſitis, aggeribus, ne hilum profeciſſe? & ore tenus iactatam, ſed numquam re tentatam opidi vnius liberationem, Batauis vicenis florenorum millionibus & ampliùs, (ac quidem fruſtra) ſtetiſſe? Mauritium verò, cùm ſciret in quot menſes de commeatu Bredæ eſſet proſpectum, alias interim Regias vrbes, quibus ſatis prouiſum non erat, non tentaſſe, quò SPINOLAM à Breda auocaret, aut eius ſaltem

ſaltem copias diſtraheret? Quis credat, hunc ipſum SPINOLAM, cùm vallis & propugnaculis de ſufficienti milite proſpexiſſet, cum reliquis Mauritium ac Mauritianos vndiquaque communitos, aperto in campo copiis exſpectare, quin & ad prælium ineundum laceſſere auſum fuiſſe? hunc verò, tot copiis inſtructum, ſuis ſe caſtris continuiſſe, ne leui quidem, vt illuſtre nomen ſuum quieſcendo non obſcuraret, velitatione tentatâ? Mira hæc ſunt, & propè fidem ſuperatura, niſi paſſim editis libris omnium in ore ceu certa verſarentur.

PELAG. Verè quidem tu hæc; ſed ſcire ex te peruelim, qua Rex rebelles via edomare, ſuique iuris facere poſſit?

BONAVENT. Viam quidem & modum ignoro, non tamē penitus impoſſibile id eſſe duco.

PELAG. Sententiam tuam tantùm audire volo, quemq; commodiſſimum modum exiſtimes, mihi proponi: cùm illum aperiendo, nullum aut honori, aut facultatibus tuis damnum creaturus, at tibi me quàm deuinctiſſimum, beneficiiq; huius perpetuò memorem, & quà potero remuneratorem, redditurus ſis.

BONAVENT. Cùm tam ſtudioſè hoc à me ipſe efflagites, liberè candideq; mentem tibi meam aperiam; at magis, vt tibi gratificer, quàm vt quæ dicturus ſum, ceu oracula & notatu digna haberi velim. Scias ergo, non aliter hæc à

me

me dici, quàm vt tuæ curioſitati noſtræque neceſſitudini morem geram, cùm noris, nihil eſſe quod tibi amicorum intimo negem. Aures igitur ad temerarias opiniones has meas arrige, & audaciam meam vni tibi, qui ad hanc me compuliſti, imputa.

Primum ergo ſibi locum vendicat amor & timor Dei, à quo vno omne deſcendit bonum, & à cuius invincibili manu omnis exſpectanda victoria eſt. Variis hoc tam è veteri, quàm nouo Teſtamento depromptis exemplis poſſem confirmare. In nouo quidem Conſtantini Imper. cum Maxentio & Licinio, Heraclij cum Coſrhoë, Theodoſij cum Eugenio, Ioannis Comneni cum Scythis, Henrici Aucupis cum Hungaris, Bodeſlai & Ladiſlai cum Ruſſis, Wenceſlai Bohemiæ Ducis cum Radiſlao; Ramiri, Alfonſi, Ferdinandi Hiſpaniæ Regum cum Mauris, Beliſarij cum Wandalis, Narſetis cum Totila, Cataculi cum Saracenis bellantium; & aliorum plurimorum: I.

Et non ita pridem FERDINANDI Imp. contra varios exercitus, & infinitas propè copias diuerſis ſub ducibus collectas, decertantis; & quidem vno ſimul tempore: Ottomannicas enim ducebat Gabor Bethlinus; Proteſtantiũ, Iagerendorfius; Caluinianas, Palatinus & rebelles Bohemiæ Ordines in Bohemia; Hungaricas, Hungarus Palatinides, & alij proceres;

alias in Palatinatu Durlachius, alias Brunſuico-Halberſtadienſis, alias Mansfeldius: ſeptem inquam exercitus aduerſus pauxillam militum manum, quos cùm BAVARIÆ Dux, tum BVCQVOIÆ Comes ſub ſignis, nomine Cæſaris habebant. Quis autem vſque adeò cæcutiat, vt ſolùm victrice Dei dextrâ, hunc victorem euaſiſſe, hoſtes verò fuſos, & omnem potentiam aduerſariam fractam concidiſſe, non videat? Quiſquis ergo FERDINANDVM antè paulò tot copiis hoſtilibus cinctum, & Hungaria, Bohemia, Sileſia, Luſatia, Morauia, Auſtria quoque ſua, & omnibus prouinciis hereditariis pulſum (vt ſola propè Vienna illi reliqua eſſet) videat; & eum non multò pòſt, pulſis aduerſariis, abſolutum harum omnium prouinciarũ videt dominum conſtitui; non Dei opt. maximi, ſuos numquam deſerentis, abiectum erigentis, oppreſſum eruentis, contemptum & deiectum exaltantis, & aduerſus omnem ſæculi potentiam in ſe ſperantes protegentis, ſe inuocantes exaudientis, denique in ſe confidentes neutiquam deſtituentis, magnalia obſtupeſcet, & victricem ac beneficam illius dextram agnoſcet? Antiqua miracula priſcis è monumentis hîc arceſſere haud eſt neceſſe, cùm noſtri temporis FERDINANDVS omnium Dei mirabilium ſit mirabiliſſimum, ſummum miraculorum miraculum, potentiæ diuinæ ſpeculum, & euidentiſſi-

dentiſſi-

dentiſſimum Domini exercituum, contra omnem hominum potentiam, & præter cunctorum huius ſæculi ſapientium & politicorum opinionem, ſuos exaltantis exemplum.

At in veteri occurrent tibi Moſes, Ioſue, Gedeon, Machabæi, Dauid, Iudith, & ſexcenti alij, quos tædij & prolixitatis vitandæ cauſâ non refero; quibus non tam propria induſtria, robur, animoſitas, copiæ, quàm Dei nutus & dextra victoriam peperit.

Videbis vice verſa, impios & ſceleſtos numquam non Deo vindici ſuæ pœnas impietatis dediſſe. Tales, olim quidē, Pharao, Antiochus, Sennacherib, Nabuchodonoſor, Timotheus, Nicanor, Holofernes, Apollonius, Abimelech, Achab, alij. Poſt Chriſti verò tempora, Valens, Zeno, Baſiliſcus, Anaſtaſius, Heracleon, Phocas, Philippicus, Michael, Maximus, Leontius, Murzyphilus, Andronicus, & alij non pauci Byzantini Imperatores; nec non Coſrhoës, Totila, aliique Reges & bellici Imperatores; quibus, quia in Deum impij, in Diuos iniurij, caro pòſt ſua ſtetit impietas. Et quamuis initio ſubinde impune habeant, & proſperos expeditionum ſuarum ſucceſſus experiantur; vt plurimum tamen cum impiis Impp. Iuliano, & Conſtantino Copronymo infeliciter & tragicè vitam finiunt.

Quocirca minimè dubito, quin, cùm Re-

gem nostrum Dei timentē, ac feruentissimum Catholicorum & Catholicæ religionis zelatorem & defensorem videam; iusta illius arma Deus ter maximus felicitaturus, atque è contra inimicos fidei dissipaturus, illorū vnionem scissurus, potentiam protriturus, mentem erepturus, astum & artes elusurus, audaciam repressurus, vim denique & arma sit euersurus. Vnde si, vitæ correctione præuiâ, vnà cum Rege, spem omnem & fiduciam in Deo collocemus; insignem mox, Deo dante, rerum mutationem, & fortunantem Dei dexteram videbimus: si modò, à parte nostra fecerimus, quidquid humanitus loquendo, facere valemus, nihil inquam negligamus, quæq; ipse nobis contulit subsidia, quà possumus, adhibeamus. Peccata nostra, quæ per omnem Hispaniam inualuere, enormia & magna, fateor, sunt; sed spero vt superioribus hisce diebus nobis euenerit id, quod olim Dauidi, cùm ob præuaricationem, vltricem Domini manum, non hostium suorum furorem, sensit. Etenim ipse, ceu benignus & placabilis Pater, flagitia quidem nostra insolitâ & mirabili illâ aquarum inundatione eluit & expurgauit, sed ab immitibus hostium nostrorum nos manibus liberauit; vnde spero fore, vt eos ceu Absalomum & Achitophelem humiliaturus, ceu Sennacherib dissipaturus, ceu Holofernem pudore repleturus, ceu impium

pium Nicanorem & Iulianum castigaturus sit.

Secundò, necessarium cumprimis, disciplinam & ordinem militarem quàm accuratissimè tueri: hæc enim vbi frigescit & negligitur, omnis militum perit generositas, animus ac robur; & in armorum, animositatis, fortitudinis, vigilantiæ, audaciæ, honoris & prudentiæ locum veniunt ignauia, tædium, mollities, ebrietas, negligentia, inertia, impudentia; & virtutibus omnigena succedunt vitia. Exemplo nobis sit miles Romanus contra Iugurtham & Numantinos, ducibus Albino & Metello, & idem ducibus Mancino & Scipione eductus. quantum enim distat ortus ab occasu, tantum fuit inter illos dum Metellum & Scipionem duces habebant, & dum Albinum & Mancinum, discrimen. II.

Iam, quid aliud à milite, qui nullâ legum seueritate coërcetur, & disciplinam omnem nescit, speres, quàm latrocinia, rapinas, agrorum depeculationem, cædes, furta, matronarum ac virginum oppressionem, & viso eminus hoste trepidationem, metum, inobedientiam, atque inde probrosam fugam? Magni sanè duces semper omnimodis curarũt, militaris vt disciplina inter suos quàm exactissimè seruaretur, cùm maximam victoriæ partem ab ea nossent dependere; & illius econtrà neglectum, apud nullam non gentem potissimam cladium, to-

talis exercituum diſperſionis, & regnorum ac prouinciarum euerſionis, cauſam extitiſſe.

Niſi enim militem ſeueritate coërceas, & ſuppliciorum intentandorum metu refrænes, omnes rurales præ damni metu in fugã ages. quod vbi fit, de neceſſariis alimentis quomodo caſtris tuis proſpicere poſſis, minimè video, cùm hæc à ruſticis petantur & habeantur neceſſe ſit. Hinc fiet, vt vel omnis exercitus famè intereat, vel ad hoſti reſiſtendum, armaúe tractanda impotens reddatur; beneuoli quoque & amici tui à te tuiſque alienentur, hoſti verò faueant, &, cùm opus erit, eius partem foueant, omnium quæ eius ſcire intereſt, certiorem facientes; te verò prodant, &, quoſcumque tuorum tam benè quàm malè valentes, à commilitonum turba ſequeſtratos nanciſci poſſunt, clàm de medio tollant. Quid autem cum refractariis, inſolentibus, contumacibus, ducum iuſſa explodentibus, & proterue in ea peccantibus (quales ſunt omnes, quos ſuppliciorum metus non continet) militibus dux agat? Morigerum, intrepidum, impauidum, & hoſtes audacter ſimul & prudenter adorientem, & antè mori quàm pedem referre paratum militem cupis? peccanti ne parcas, delicta ſingula caſtiga, nullumque in diſciplinam militarem quocumque modo peccatum tibi ſit impune.

Sed vt inculpatè & tutò in delinquentes

ani-

animaduertas, in menſes ſingulos addicta ſtipendia vt ſoluantur, erit curandum. Caſtigare enim, & malignè illa numerare, ferinū eſt, non humanum; bene numerare, ac tum delinquentium rapinas vindicare, dominorum eſt. nec promeritū miles ſupplicium recuſabit, ſi menſtruum illi exſoluas. quod cùm feceris, nullum ſubterfugiet diſcrimen, nullum adire verebitur periculum, hoſtem non formidabit, quin vltrò in mortem ruet. Vis ergo diſciplinā militarem ſacroſanctam & integram, vis caſtris de omni re neceſſaria bene proſpectum; vis fortem, impauidum, tibiq; in omnibus parentem militem, non contumacem, non refractarium, nulla iuſſa, ne mortem quidem, detrectantem? debita conſuetaq́ue pendi in menſes ſingulos ſtipendia perſolui curato. tunc enim nihil erit ei graue, cùm ſibi ſtipendium ſoluendum, ac generosè factis præmia, & mercedem meritis certò nouit rependendam. Aurum enim, ſimul & ſpes maiorum, mortem facilem, imò dulcem & optabilem faciunt.

Pudeat nos Chriſtianos, Turcis in diſciplina & ordine militari concedere. cùm enim illorum caſtra vt plurimùm tercentum bellatorum millia contineant; nullus tamen in iis auditur clamor, tumultus, blaſphemia, ſacrilega verba, nulla denique iurgia; vt quiſquis illa videt, Religioſam ſe familiam intueri putet. Quæ

autem illa interſecant viæ, adeò ſunt mundæ, vt ne minimum immunditiæ in illis cernere ſit veſtigium, quin & humanæ ſordes omnes terrâ adobruantur & lateant. Exulant illinc alea, chartæ luſoriæ, ebrietas; at tanta in illis viget ſobrietas, vt etiam in generali totius exercitus macello vix viginti iugulatas pecudes venum expoſitas videas: cùm omnis penè miles ad multos menſes vſui futuram annonam, allia, cepas, rapa, cucumeres, raphanos, aliaq́ue id genus olera, ſale & aceto condîta ſecum conuehat. ſiti verò ſedandæ ſufficit aqua. Duella, digladiationeſq́ue numquam, aut rarò admodum, ibi videre eſt: vnde etiam magni Solimanni tempore, in Welibegum ſummi inter ceteros Turcas nominis & roboris, quòd ſe Arſſambegum, qui totius exercitus fortiſſimus & valentiſſimus habebatur, ad duellū ſecum ineundū prouocaſſe palàm iactitaret, Baſſæ & præfecti caſtrenſes grauiter animaduerterunt, aliquot eum menſibus carceri manciparunt, aliiſq́; infamiæ apud vniuerſum exercitum notis affecere; quaſi inexpiabile piaculum foret, cùm tam multi Chriſtiani forent, contra quos vires exerere, & fortitudinis ſpecimen edere poſſet, Turcam ad certamen prouocaſſe. Vt verò diſciplina hæc meliùs apud eos conſtet, & ad hoſtem impetendum nemo non animetur; nonniſi pro meritorum ac virtutum ratione, & nullo

nullo ſtirpis nobilitatiſúe patriæ habito reſpe-
ctu, dignitates conferri ſolent. Atque hæc eſt
ratio, cur vt plurimùm Turcorum primores
ruſticum, plebeium, aut mechanicum patrem
habeant, qui per robur & heroica facinora,
paulatim ad ampliſſimas dignitates & magi-
ſtratus, prout meritus quiſque eſt, aſcenderit.
Imò laudi ſibi ducunt & honori, plebeio &
abiecto ſibi ad altius faſtigium aditum patuiſſe.
Videre hinc eſt, quantum nos ab illorum diſci-
plina militari, norma caſtrenſi, in victu potuq́;
moderatione, continẽtia, quiete, parentia, pru-
dentia, accurata in dandis bellicis muneribus
diſquiſitione, caſtrorum munditie, duella am-
bientium pœnis; blaſphemiarũ, conuitiorum,
alearum, chartarum, ebrietatis, aliarumq́ue il-
lecebrarum vires deſtruere natarum proſcri-
ptione, abſimus & illis concedamus.

Tertiò, vt autem diſciplina hæc commodè
ſeruetur, Regiæ pecuniæ prudenter, & nonniſi
in res neceſſarias erunt expendendæ. cui rei
cumprimis vtile futurum arbitror, duplex Re-
giarum pecuniarum ærarium conſtitui, cui &
duplices cuſtodes præficiantur. Priori eas aſ-
ſeruari vellem, quæ militi præſidiario, in bellũ
neceſſario, & pugnanti, in ſtipendium ſint ex-
ſoluendæ. ſtipendia autem ſingulorum, quan-
tum commodè fieri poſſet, æquari, vt nec huic
maius, illi minus perſoluatur. peditum quoque

omnium nonnisi duos constitui ordines & genera, sclopetarios scilicet & hastarios; & illis eiusdē omnes capacitatis & magnitudinis sclopos, vt glandes omnes quadrent omnibus, dari; hisce verò æqualis longitudinis hastas. vtrisque autem menstruè quindenos; equitibus, cuiuscumque demum generis sunt, tricenos (exceptis iis qui aliquo funguntur munere) florenos Brabanticos stipendij loco numerari; idque certò, ne quam miles aliena rapiendi, dux verò delinquentibus ac rapinæ reis necessariò parcendi occasionē habeant. Si nec negentur, nec prorogentur stipendia, non est quòd vllas militum seditiones Rex vereatur. quæ sanè in Belgio aut amissarum vrbium ac regionum, aut non relatæ de hoste, cùm referri commodè potuisset, victoriæ causa potissima fuere. Sic Zirісseam, Goesam, & Tolam, simul & in quibus singulæ sitæ sunt insulas amisimus, atque earum incolas ad indignationem, & à Rege suo auersionem concitauimus. His quoque Frisiæ totius, & aliorum plurimorū opidorum & arcium, à quibus totius rei salus & incolumitas dependebat, amissio asscribenda. Sic & primariæ Hollandiæ ciuitates, ob malignè numeratum præsidiario & castrensi militi stipendium, Regi surreptæ, & hosti se submittere coactæ. Itaque iam pridem pacificum Belgij totius imperiū Rex noster habuisset, si, quod debebatur

in menſes, militi exſolutum fuiſſet. Cuius rei mecum teſtes eſſe queunt, qui iam inde à tumultuum initio bellū tractarunt & viderunt.

Alterum dein ærarium, alio ſub præfecto, eas contineat pecunias, quæ in honorarias quorumdam penſiones, & occultas impēſas annuè expendendæ ſunt; in eos nimirū, qui poſt longa & multa Regi præſtita obſequia, tum ob decrepitā ætatem, tum ob vulnera & detruncata membra, bello poſthac inutiles eſſe deprehenduntur. Inde quoque petantur donaria, quæ variis de cauſis, tum bello, tum domi benemerentibus, aut etiam è priuato erga quempiam affectu, Reges pro ſolita & innata ſibi munificentia erogare conſueuere. Hinc quoque depromant tam occultas, quàm notas, in loca ſacra & egenos, eleëmoſynas, & neceſſariam in ſplendorē ſuperuacuum, oblectamenta, palatiorum hortorumq́ue Regiorum ſtructuram, & alios id genus vſus pecuniam. At ſi vtrique ærario locupletando prouentus non ſufficiant, ſecundum tantiſper quieſcat, & primo ſuccurrat, donec vberior nummorum ſit prouentus, qui neceſſarium ærario vtrique ſanguinem & ſuccum ſubminiſtret.

Quartò, cum primis vtile erit, nulli militum, aut propter generis ſplendorem, aut etiam parentum propriamq́ue virtutem ac merita, ſtipendia adaugere. Promeritus quis virtute ſuâ IV.

maiora eſt,ad altiorem dignioremúe gradum euehatur,è gregario milite Signifer,è Signifero Centurio,è Centurione Tribunus(Sergantum Maiorē vocamus) è Tribuno Chiliarcha & Colonellus cōſtituatur.Ita fiet,vt indigniore gradu poſitus auctius habeat ſtipendium, cùm vnà cum dignitatibus creſcant ſtipendia, quibus hæc annexa ſunt. Etenim ob priuata amicorum merita,alienam commendationem, generis claritudinē, aliaúe de cauſa,ſtipendia alicui adaugere;vt plurimùm ignauiæ,inertiæ, inuidiæ,cōtumaciæ,& murmurationum multarum cauſa eſſe ſolet:cùm,qui amicis & Procerum commendatione deſtituuntur,ſe iacêre obſcuros, nec promoueri altiùs; ineptiſſimos verò,ignauiſſimos & inertiſſimos quoſque ſtipendio donari vident ampliore.&(quod deterius) hos non tam promeritis, & bene factis quàm muneribus & pōtibus aureis ad illa viam ſibi ſternere.& quidem adhuc imberbes & adoleſcentes; ſe verò & ætate & meritis graues negligi, neúe vllam ſui apud duces rationem haberi.Hinc belli in ipſis naſcitur incuria,concidit animus,exoleſcit audacia,& ardor omnis intepeſcit.

V. Quintò,non antè ad magiſtratus aut dignitates caſtrenſes promoueri vllos velim, quàm triennio quadrienniоúe gregarium militem egerint;neminem ad Centurionis munus aſſumi,

mi, qui Vexilliferi partes non implerit; neminem ad Chiliarchiam vel legionis præfecturã, qui Centurionatu probè functus non fuerit. Aliis enim quî imperabit, qui recens ab aula, aut ludo litterario? armorum peritus quo pacto erit, qui numquam hostilem vidit ensem? quo vrbem modo obsideat; qui nulli obsidio interfuit, nec eius pars vlla fuit? armatos adoriatur hostes, qui arma hactenus nulla gessit? prudentérne ac sapienter quid armatis imperabit, qui nullius armati armatus iussum vmquam excepit? Vnde efficio, hanc belli inexpertorum ad castrensia munia euectionem, certissimam totius exercitus, atque adeò regnorum, pestem esse & interitum.

An non temerarius & fatuus ille audiet, qui quam nec didicit, nec vmquam vidit, artem docere & exercere præsumet? qui domos ædificare; calceos, vestes, naues parare, pingere, agros colere; qui nullum in fabrili, sutoria, sartoria, naupegia, pictoria & agricultura habuit magistrum? Næ longè stultius, atque etiam damnosius est, aliquod armorum imperito, & tironi nupero, in bello munus concredi. Quid? Regésne ac Principes tanti momenti negotia, à quibus regionum ac regnorũ salus aut iactura non rarò dependet, rerum imperitis palatinulis, imò penè pueris, committere? vicennis aut octodecennis adolescens militibus quomodo impe-

imperet, qui numquam arma tractauit, aut castra coràm inspexit? Omitto, hacce inexercitatorum tironum promotione, veteranis omnibus animum concidere ac frangi, simul & spem emergendi adimi. Cordati proinde ac prudentis Principis erit, in castrensibus muneribus conferendis, non tam generis splendorem, amicorum commendationem, naturæ dotes, quàm armorum peritiam, exercitia & vsum, generositatem, virtutem, priora facinora & merita suorum intueri.

Sic ad Imperium orbis, vilissimos & abiectissimos quosque, etiam de triuio, peruenisse prisca historiarum monumenta testantur. Ælius Pertinax libertino natus est patre: Macrini parentes qui fuerint nescitur: Maximinus ab ouibus ad Imperium ascendit, Pupienus ab incude paterna, Philippus à latrocinio, Aurelius ab aratro; Diocletianus è seruis prognatus: Maximianus, agricolam; Valentinianus & Valens, funarium; Iustinus bubulcum & deinde carpentarium; Iustinianus, porcarium, patres agnoscunt: Mauricius antè notarium egerat: Basilius Macedo parentes ignorauit, vtpote bello captus & in seruum venundatus: Michaëlis Calaphatæ pater nauibus piceandis victū comparat. Et hos omnes aut Roma, aut Bizantium Imperatores vidit. Romulus inclytæ gentis parens & auctor, parentem quem habuerit,

buerit, ipſe neſciuit; Tullus Hoſtilius in agreſti patris tugurio primùm lucem aſpexit; Seruium Tullium ſerua mater genuit & vbere lactauit. Atque adeò potiſſimam Rom. Imperatorum partem ex infima plebe natam, armis, virtute & robore ad Imperium veniſſe notiſſimũ eſt.

Et certè, quiſquis in re bellica, præter virtutem & armorum peritiam atque vſum, aliud quid ſpectat, ſeipſum ac ſua omnia certiſſimo ſemper diſcrimini exponit. Vnius quippe ductoris aut Centurionis, tam peditis quàm equitis, fuga reliquorum omnium conciliat fugam. Teſtis Gemblacenſis conflictus, in quo Centurio equeſtris, neſcio qua de cauſa, in fugam ſe coniiciens, alterum; hic tertium & reliquos omnes, in fugam pellexit: quam fugam conſpicati pedites, ita etiam ſe fugiendo diſtraxere, denuo vt recolligi & coaleſcere non potuerint. atque hæc vnica, illuſtris illius victoriæ, quam exiguâ militum manu, præter ſpem omnium, Ioannes Auſtriacus retulit, poſt Deum fuit cauſa. Quæ cladis apud Neoportum & fugæ noſtrorum fuerit cauſa, norunt illi, qui poſt inſignem peditatus noſtri victoriam, fugientem ac cedentem turpiter equitatum conſpexere. Paria, in omnium gentium hiſtoriis, exempla non pauca occurrunt.

Sextò, optarem, omnes turmæ pedeſtres, cuiuſcumque demum ſint gentis, non pauciores VI.

trecen-

trecentis milites complecterentur; equestres, non pauciores ducentis. Regio hinc ærario plurimum emolumenti accedet: sic enim non modica Præfectorum copia Rex carebit, in quos non parua pecuniæ Regiæ portio insumitur & effunditur. Si enim singulis legionum præfectis (Colonellos vocant) cuiuscumque sint nationis, tria militum millia assignentur, & vnicuique Centurioni ac Capitaneo trecenti; incredibile, quantum per hoc Regio ærario sit accessurum.

VII. Septimò, nulla omnino legio exauctoretur vel emori sinatur, nisi militum numerũ minui expedierit, aut necesse fuerit. Nam veteres turmas exauctorare, & nouas instituere, quid aliud est, quàm duplici & non necessaria impensa Regem grauare, & peritorum, vtilium, veteranorum in locum, imperitos inutilesq́; tirones, ingenti cum dispendio sufficere? si qua fortè legio notabiliter decreuerit, nouis (quod factu haud difficile) capitibus erit instauranda, & suæ restituenda integritati.

Adhæc expedire censeo, nulli vt Centuriones, Vexilliferi, aut aliis castrensibus muneribus fungentes, emeriti censeantur, vel (vt dicunt vulgò) reformentur; sed tamdiu suum quisque munus fungatur, quoadusque per virtutem ac merita dignus iudicetur, qui ad altius fastigium & dignitatem euehatur. Etenim per

hanc

hanc munerum reformationem immensùm crescunt stipendia, & pecuniæ plurimum in perpauca capita effunditur; cùm his emeritis eadem stipendia numerentur, quæ, dum mererentur. quod profectò cum primis noxium est, pecuniarum vorago, & ærarij ærugo.

Meritus quis est munere suo priuari? suo quoque meritus est priuari stipendio. inutilis redditus quis, diutiùs vt operam suam Regi præstet? (quod rarissimum est) de honesto ei prospiciatur, pro meritorum pensitatione, ad alimoniam stipendio. Atque hanc omnibus cuiussuis gentis militibus, tum ad æmulationem tollendam, tum quòd Regis hoc intersit, concedi prerogatiuam velim. Rationi quippe consentaneum est, vt qui vni Regi merentur, etiam parientur, quò maiore vnione & concordia, animis maioribus, suam Regi operam nauent. Etenim vni concessa, alteri negata, prærogatiua, euidens odij & inuidiæ seminarium est. Si enim neges promeritis, animo cadunt; & fiet non rarò, vt in necessitate destituant quos sibi immeritò præpositos vident. Scio non deesse rationes, quibus vna gens alteri, quoad emeritationem, præponẽda videatur: sed, re omnem in partem librata, optarem omnes eodem sub Rege merentes nationes, in stipendiis, prærogatiuis, & emeritatione æquari.

Octauò, perutile quoque foret, electiui mi- VIII.
litis,

litis.ſacramento Regi non adſtricti, ſed patriæ ſtipendiis militantis, cohortes adaugerentur: Flandria ſenas, Brabantia totidem, Tranſmoſana, Limburgenſis, Falcoburgenſis ditio ternas; Gelria ternas, & Tranſiſalaniæ vicinus ager binas aleret; trecenta porro capita cohors quæque complecteretur. Quòd enim hi capti, auro (vt alij milites ſolent) irredimibiles ſint; hinc pro vita tuenda pugnant acriùs, hoſti terrori ſunt, eiuſque excurſiones nimium quantum remorantur, quin imò plus ei damni inferunt. denique ſunt in propoſita militia conſtantiores, probè gnari aut moriendum ſibi, aut vincendum; medium nihil dari. addit hoc animos, adauget audaciam; & dictu incredibile, ad quæ non ſtratagemata, & generoſitatem adigat deſperatio. Quod verò illis perſoluendum erit ſtipendium, nec non reliqua neceſſaria impēdia, ex hoſtili forſitan agro poſſet peti. hactenus enim is (cùm tamen facillima noſtris ad eum pateat acceſſio) graſſationem, capturam, rapinam & depeculationem noſtratium, menſtruâ pagatim ac vicatim ſolutâ pecuniâ non redemit; adeò vt cuique electiui militis ductori quidam hoſtium aſſignandi ſint pagi, è quibus is menſtruum militi ſuo ſtipendium, per modum contributionis, educere poſſet.

IX. Nonò, numerum eorum qui in caſtris à rationibus ſunt, calamoque rem agunt, minuendum

dum censeo. Eorum ergo qui nunc præsunt, nec non ærarij Regij præfectorum, tertia, imò & quarta, ad vniuerso exercitui commodè satisfaciendum, pars nimis quàm satis foret. Octo Commissarij, lustrationi militari præfecti, etiam plus quàm satis essent, ad vbiuis lustrationi prę-sidendum. E qua numeri imminutione tam horum, quàm illorum, ærario Regio maxima fieret accessio; præsertim si ad ea munia assumerentur viri quorũ virtus & probitas antè probata foret, vitæ integri, ab omni munerum & auri acceptione remotissimi, quorum vitæ ratio inculpabilis & supra omnem maledicorum linguam, quique nullam iniustitiæ aut alterius grauioris flagitij notam aut contraxere, aut in illius vmquam suspicionem incidêre, boni denique apud vnumquemque nominis & famæ, & in quibus ne momus quidem, quod reprehẽdat inueniat. Quales non deerunt, si sua benemeritis præmia non desint. Qui si vel in minimo suis defuisse partibus & æquitati comperiantur, grauiter, sine vlla indulgentia aut dissimulatione, cuiuscumque demum gentis, status, conditionis sint, castigentur; nullus autem habeat impune, delatori verò sua stet merces & honorarium.

Decimò, vt intolerabili propè sumptu, quem tolerauit hactenus, Regem exoneremus, non incommodum aut inconsultum foret, (& fieri X.

commodè posset) si, quæ Regi adhuc parent in Belgio prouinciæ, è suis ipsæ quos habent prouentibus, omnibus omnium ciuitatum, castellorum, arcium, propugnaculorum præsidiarijs stipendia persoluerent. Sed hac seruata ratione. Primò, vt vnaquæque ante omnia nosset prouincia, quænam ad se præsidia spectarent, & sui oneris essent. Secundò, ipsæmet per delegatos & deputatos suos, necessariã in stipendia menstrua pecuniam numerarent & mitterent. Tertiò, nemini obolum dare tenerentur, quàm reipsa militantibus, & operã præstantibus. Quod certè prouincijs adeò non erit graue (cùm omnes vbiuis locorũ præsidiarij vix vndecim hominum millia expleant) vt etiam vltra præsidiarios hos, simul bis mille equites Regio in exercitu alere possent, quibus per delegatos suos menstruatim stipendia persoluant.

Vt autem aliquod prouinciæ & prouinciales hoc in onere subsidiũ sentiant, & annui earum prouentus incrementum; certè non abs re erit si suæ iurisdictioni addictorum pagorum titulos & dominia Rex, in auctione plus offerentibus velut in pignus addicat. E qua oppignoratione quantum annuè auri redigendum sit, vix quisquam credat. Etenim in prouincijs Regiũ imperium etiamnum agnoscentibus, supra quinque pagorum millia censentur: quorum millia tria ad Regem spectant. horũ si is solum

titu-

titulum varijs oppignorare velit, certè vniuſcuiuſque titulus quadringentos annuatim florenos (æquatione pagorũ facta, cùm hic pauciores, plures ille daturus ſit) haud dubiè pendet; quorum ſumma capitalis & ſors ad vigeſimum nummum reducta, nonniſi ad octo florenorum millia perueniet. Annuus autem omnium titulorum oppignoratorum prouentus duodecies centena florenorum millia efficiet. In pagorum numero ſi fortè errarim, parum refert: etenim certus eorum haberi numerus nullo negotio poteſt. Adhæc, ſi non titulum tantùm ac nomen, ſed & iura & iuriſdictionem, pagorum in pignus dare Rex vellet, longè ſanè plura, incredibili annuorũ ſuorum prouentuum cum incremento, inde conficeret: cùm iam propè omnis cunctorum illius pagorum reditus, in miniſtrorum, curatorum, receptorumque ſtipendia, alioſque ſumptus depereat & euaneſcat; vt aperire me puderet & euulgare, quàm, vltra neceſſarias impenſas, parum in ſe ad ærarium Regium deueniat.

Neque verò hæc pagorum oppignoratio Regis magnitudini & nominibus quidquam adimit aut deterit; neque enim is vlla à pagis cognomina aut titulos vſurpat. Quin & hos rurſus ſibi ac iuri ſuo arrogare poterit, cùm annuo illo prouentu, quem hæc oppignoratio illi pendit, carere lubebit. Interea temporis

prouentus & reditus suos immensùm augebit: vt, cùm hodie per annos singulos, omnibus necessarijs sumptibus deductis, nonnisi vnum recipiat, per oppignorationem hanc quinquaginta, imò centum & amplius, sine vllo omnino onere & impendio, annuatim percepturus sit. Spondere tamen nolim, ex vnoquoque ei pago tantum quantum dixi, prouenturum; sed ex hoc pauciora, ex illo plura, pro loci situ, commodis, & magnitudine. Et esto, nonnisi mediam horum partem reciperet, prouentus tamen ille modernum quinquaginta & ampliùs partibus excederet.

Possent præterea syluarum, calaminaris lapidis fodinarum, salinarum, & aliorum Regiorum iurium redemptiones, carioris æstimari & inaugeri. Quæ vniuersa, ærarij onera mirè subleuabunt, & militarium stipendiorum numerationi magno futura sunt subsidio.

XI. Vndecimò, non inutile foret, si præter præsidiarios suo quadraginta peditum, & quatuor equitum millia, Rex ære in Belgio aleret, eisq; menstruatim addictum stipendium penderet. Non graue id ei aut incommodum erit, si (quod n. 4. seruandum pręscripsi) nulli quidquam pręter consuetum stipendiũ eroget, idq; omnibus æquale; si nulli stipendium adaugeat, nulli denique nisi arma tractanti & reipsa militanti, id soluat. Hoc ego exercitu sperem, Regem quidquid

quid bello volet effecturum, quoslibet aduersarios edomiturum, ac vicinis Principibus ita terrori futurum, vt illum armis suis nec impetere, nec perterrere ausuri sint: neque eum hosti animum ac vires futuras, huic vt sese exercitui, dũmodo prudens & peritus armorum dux ei cum imperio præficiatur, opponat. Sex enim & quadraginta armatorũ millia, menstruè stipendiata, quid non perfringant aut edoment; si præsertim seuerè & sine vlla in delictis conniuentia, militaris disciplina seruetur?

Duodecimò, si fortè Regi, post tot annorum XII. bellum, post ducentos & amplius auri milliones huic insumptos, graue sit tantum ære suo exercitũ alere; aliam tibi, qua sine vllo ærarij sui grauamine aut imminutione, non dico quatuor & quadraginta, sed centum & plura, militũ millia in aciem producat & sustineat, rationem suggeram. Regna illius omnia, Hispaniam, Lusitaniam, solis Occidui & Orientis Indiam, Neapolim, Siciliam, Mediolanum, & alias prouincias tibi propone: in his supra ducenta locorum & oppidorum, in quibus centũ familiæ censeantur, millia reperies. Horum locorum singulis si, præter ordinaria Regi pendi solita vectigalia, vnius, aut etiam medij, militis stipendium persoluendũ assignes; plusquam ducenta, ad minimum vltra centum, armatorũ millia, sub signis habebis. Vt taceam, etiam in hisce regnis pluri-

rima locorum millia reperiri, quæ centum familias non numerent. his ergo erit medium militis vnius ſtipendium, vel tertia, aut etiam quarta pars, iuxta domorum aut familiarum numerum, aſſignandum. Non, quaſi copioſa & opulenta, plurimorumque incolarum ciuitas, non plus contributura ſit, quàm vix centum familias recenſens pagus; ſed vt, pro familiarũ multitudine, loca ſingula viginti militum, decem, ſex, quatuor, vnius, dimidij, aut etiam minus, ſtipendiũ contribuant. Et ſpondere auſim, Regem centum quinquaginta, imò etiam ducenta, nullo ſuo impendio, militum millia ſacramento ſibi deuincta habiturum.

Nec nimius aut fidem excedens cuiquam hic militum videri numerus debet, cùm Ferdinandi III. Regis tempore, Hiſpanicarum prouinciarũ non maxima, Bætica, ducenta & ampliùs opida, & vltra centum pagorum millia numerarit. Etſi non ignorem numerum hunc iam ſatis imminutum eſſe; hinc tamen haud ægrè colligas, quanta extra Belgicas prouincias, per omnia Regis noſtri dicto parentia regna & regiones, cogi multitudo queat. imò, ſi penitiùs & accuratiùs rem inſpicias, me in minuendo potiùs, quàm exaggerando peccaſſe comperies. Ac non ita pridem à probatæ fidei viro mihi ſignificatum eſt, in ſolo Caſtellæ regno pluſquam octoginta baptiſteriorum millia cenſeri;

Ma-

Madritum tamen pro vno dumtaxat baptiſterio numerando. Equo ipſe colligas, quàm multa in Luſitania, Aragonia, Catalaunia, Valentia, Nauarra, Sardinia, Corſica, Balearibus, Neapoli, Sicilia, Mediolano, & vtraque in India numerari queant. Ex vnoquoque autem baptiſterio ſtipendium in militem vnum, aut ſanè medium tantùm, educito; & videbis quàm potentem Hiſpanica regna, ſine vllo Regij ærarij incommodo, exercitum ſint productura.

Neque verò id mihi perſuadeo Regijs ſubditis vſque adeò graue futurum: bonâ enim locorum & familiarum omnium initâ diſtributione ac diuiſione, ad illius ſanè ſtipendia nonniſi exiguum quid domus vnaquæque, ac ne ſentiens quidem, erogabit. Neque etiam perpetuum id onus futurum; ſed bello finito habebit finem. Quæ quo commodiùs, minoreque incolarum cum ſenſu peragantur, poſſet, Rege annuente, modicum & tolerabile in vnoquoque loco vectigal conſtitui, ijs potiſſimùm è rebus colligendum, quæ ad aduenas & peregrinos potiùs, quàm locorum incolas pertineant; aut, ſi indigenæ grauandi, ita modicum addi grauamen, vt qui illud pendit ſe ne pendere quidem ſentiat. Neque etiam omnem hunc militem, vno ſimul tempore colligi aliúe neceſſe eſt; ſed pro rei bellique neceſſitate plures pauciorésue. Vt, ſi nonniſi quadragenis aut quin-

quagenis Rex bellatorũ millibus indigeat, horum ſtipendia vnicuique regno aut prouinciæ poſſent, pro cuiuſquepotentia, aut familiarum multitudine, perſoluenda æqualiter deſignari.

Poſſet & alio modo hæc ſtipendiorum perſoluendorum ratio iniri: nimirum vt Caſtella Vetus, dena; Noua itidem, dena; India Caſtellanæ detectionis & iuris, dena; Luſitania cum ſua India, duodena; Aragonia, octona; Valentia, terna; Catalaunia, dena; Bætica, quindena; Neapolitanum regnum, duodena; Siculũ, ſeptena, Mediolanenſis Ducatus, octona; Cantabria, Nauarra, Galæcia iunctim, nouena; Granatẽſe & Murcianum regnum, quatuor; Mediterranei maris & Oceani inſulæ, etiam quatuor; Belgicæ prouinciæ Regiæ, ſexdecim peditum millia alant. Equitatus illa è gente & prouincia petatur, quę lectiſſimos ſubmittere equites conſueuit; quos quæ dabit, ei peditum minor numerus aſſignabitur. mille porro equitum, binis peditum & quingentis æquivalebit, aut circiter.

Qua in re quædã neceſſariò velim obſeruari.

Primum, vt vnaquæque prouincia præſcriptum ſibi militem colligat & conſcribat.

Secundum, ſi quæ prouincia tot in militiam capita è ſuis indigenis emittere nequeat, reliquos in ſupplementum aliena è prouincia eam colligere fas ſit.

Tertium, omnes imperium & dignitatem caſtren-

castrensem habentes ex ea assumantur gente quæ stipendium persoluit; tametsi fortè miles, quòd indigenæ non suppetant, sit ex aliena.

Quartum, vnumquodque regnum aut prouincia, militi sub ductoribus suis agenti, per delegatum & designatum aliquem, à se ad hoc muneris sigillatim assumptum, stipendium adnumeret.

Quintum, isthæc militum conscriptio, nonnisi necessitate fiat exigente, & cùm eam cuique Rex prouinciæ imponet.

Sextum, pro necessitatis ratione maior aut minor numerus conscribatur. maior siquidem, bello varijs simul in prouincijs exorto (putà in Italia & Belgio) quàm dum in sola Italia, militum copia requiritur. Tum etiam maior, cùm tria aut quatuor regna & prouincias Regias belli flamma corripuit.

Septimum, bello aliqua in prouincia excitato, miles in alijs, pro necessitatis magnitudine, prouincijs conscribatur. ad cuius conscriptionem & solutionem quæq; suam, iuxta assignatum priùs vnicuique numerum, symbolam conferat.

Octauum, vt in omni armorum motu & bello, præter eas quas prouincia bello ardens colligere copias iubetur, triginta peditum, & quatuor equitũ millia, prouinciarum à bello immunium stipendio, ad Regij iuris tuitionem, con-

ſcribantur; vnaquaq; pro numero antè ſingulis indicto,ad triginta hæc quatuor millia concurrente. Si verò quadragenis, aut quinquagenis millibus, aut etiam pluribus Rex (quòd fortè maior ſit neceſſitas) egeat,tot ei ſingulis tunc indicere milites liceat, quot ad hoc periculum auertendum opus habebit.

Neque recens id inuentum eſt. etenim idem olim Auguſtum Imp.factitaſſe, Rom.loquuntur hiſtoriæ : cùm enim à Marcomannis bello peteretur , nec militi conſcribendo publicum ærarium ſufficeret; pop.Romanus,pro facultatum ratione,militem vnum,aut duos,aut etiam plures , ſuo quique ære conſcriptum ei ſubmiſere.quo vltroneo populi ſubſidio Marcomannis ſubactis,Rom.Imperium ab inſtante Auguſtus ruina vindicauit.

XIII. Decimò tertiò, cùm omne hoſtium robur & potentia mercimonijs contineatur, rebelliumque prouinciarum opes è negotiorum & commerciorũ tractatione potiſſimùm proueniant; ante omnia , & quàm maximè neceſſariũ cenſeo , omnem illis negotiandi viam præcludere & ſuccidere.ſic enim fiet, vt omnes ſibi neruos præcidi exiſtiment. Iam cùm belli neruus ſit pecunia, & ſine hac illud omnino geri nequeat; ſequitur, omni ab hoſte abacto commercio, & qui ex illo ſequitur prouentu, tolli quoque vnicam eius qua militi ſatisfaciat,rationem. Notiſ-

ſi-

ſimum adhæc, omne illius commercium in mari, & varijs per Europā fluminibus potiſſimum agitari. Huic ergo neruos ſi incidere velit Rex, maris & fluminum vſum ei auferat, & eneruis concidet. Fiet hoc Primò, ſi fluminum, quæ Regij iuris ſunt, & à Regijs propugnaculis inſidentur, vſum ei adimat; & imprimis Scaldis, quo Antuerpiam & aliò ſua conuehit, & alia euehit; Moſæ, quo Traiectum & Venlonam; Rheni denique, quo Rinbercam & aliò.

Secundò, Viſurgim & Albim primaria Germaniæ flumina, aut per ſe, aut per Cæſarem, qui illorum varijs in locis poteſtatem habet, illi occludat. hacque ratione, omne ei cum Germanis commercium, à quo potiſſima annuorum eius prouentuum pars dependet, præſcindetur. Ipſa denique cū Gallis negotiatio aut eripi, aut periculoſa admodū reddi poterit, per eā quam Flādrico in littore Rex inſtructā habebit claſsē.

Quæ vt ſine vllo Regij ærarij ſenſu parari & adornari queat, aliquot tibi hîc rationes modoſque proponam, quæ ſi introduci & locum obtinere permittantur, incredibilem pecuniæ vim (quæ ad naues neceſſarias inſtruendas, & alias in amiſſarum locum ſufficiendas requiritur) procreabunt.

Primò, omnes, cuiuſcumque demum conditionis ſunt, tabulę inſtrumentaue, ſtipulationū, donationum, emptionum, venditionum, ſocietatum,

tatum,&c.quæ coram Secretarijs, Graphiarijs, Tabellionibus , Scabinis, aut alijs quibuſlibet magiſtratibus fiunt,in quibus florenorum centum ſemel res agitur,decem ſtuferos pendant; in quibus plus mille florenorum res agitur, viginti. ſimul indicatur , nullum illorum inſtrumentorum ratum ac legitimum fore , quod Regio non fuerit ſigillo , hinc in vſum ſigillatim cuſo, munitum ac ſignatum. quod valoris munimen habere qui vellet, præſcripto id ære redimere deberet.Quæ conſuetudo tum apud aduerſarios noſtros , tum alijs etiam in prouincijs & regnis locum tenet. Sin hæc ratio minùs arriſerit,Batauorum in hoc ritum ſequi licebit. apud hos namque minus inſtrumentorum , in quibus tricenûm florenorum res agitur , ſigillum , duobus ; eorum quæ aduſque ducentos florenos perueniunt, tribus; quæ ad ſexcentos, quatuor ; quæ inde ad mille , ſex; teſtamentorum denique & codicillorum, octo ſtuferis redimitur. Hæc autem ratio ſtipulantes minùs grauaret,& in praxi foret benignior.

Secundò , quotquot alteri litem , in qua de centum aut circiter florenis controuertitur,intentare volent , tres priùs quàm in iudicio à quoquam audiantur,& cauſam agant,florenos ei qui ſingulis in opidis & pagis hunc in vſum conſtituetur, tamquam mulctæ nomine pendant;lite iam peracta ei accenſendos, qui cauſa

ceci-

ceciderit.ſi verò centum florenos controuerſia excedat, actor antè quàm tribunal adeat, pro ſingulis centum florenis tres exponet, quos aut ipſe de ſuo dabit, ſi cauſa cadat; aut ei reddet reus, ſi contra eum iudicatum fuerit: niſi fortè lite iam finitâ, iudex expenſas eius compenſatione quadam cenſeret moderandas: tunc enim victor tertiam vnam, ſuccumbens verò duas alteras mulctæ partes ſoluere deberet.

Tertiò, quiſquis perpetuam ac nonniſi cum vita terminandam dignitatem, annuè ſupra quadringentos florenos ei reddentem, aut à Belgarum Principe, aut Regis ipſius auctoritate poſthac accipiet, mediam vnius anni prouẽtus, ad nauium harum impenſam & ſubſidium, partem conferat. quod ad dignitatẽ aut munus aliquod aſpirãtibus neutiquã graue cenſeo fore. & numquam (ſcio) deerunt, qui huiuſmodi munera libenter, eſto hoc cum grauamine, etiam cum gratiarum actione ſunt admiſſuri. imò ſpondere auſim, etiam totum anni vnius prouentum, quò munera quibus inhiant conſequantur, Regi eos non illubenter ceſſuros, tum vt gratos ſe pro accepto munere oſtendant, tũ vt patriæ incolumitati hac ratione conſulant, & in claſſis ſuæ ſtructuram ſuppetias Regi ferant. Immenſa certè, ob maximam huiuſmodi munerum & dignitatum his in prouincijs copiam, auri vis hinc redigetur; & aduerſus hoc onus

onus meritò nemo occlamet aut contradicat. Idem tam in Hiſpania quàm in alijs regnis ac prouincijs ſuis vt vſurparetur, poſſet Rex indicere. Incredibile hinc Regis ærario & prouentui accederet incrementum, nullum verò ſubditis eius onus aut damnum. Vt vel hic ſolus prouentus, ſi per omnia illius regna & terras hoc locū obtineret, duas & plures ingentes in mari claſſes, certo cum ſtipendio menſtruo, adornare poſſet.

Quartò, poſſet & chartis luſorijs, duorum triúmue ſtuferorum; pari alearum, vnius grauamen imponi. Quod quamuis ſatis enorme videatur, perexiguum tamen eſt, ſi damna hiſce è ludis prouenientia conſiderentur. Huc accedit, quòd nec chartæ, nec aleæ vllatenus ad hominis ſint ſalutem vitamq́; aut neceſſariæ, aut vtiles. Imò tributum hoc forſan efficiet, vt multi damnoſas has recreationes, & pernicioſos ludos miſſos faciant. Neq; nouiter hoc inuentum eſt, cùm Reges alij hoc ludi genus etiam multò grauiori onere grauarint.

Quintò, margaritæ & gemmæ, vt adamantes, pyropi, & aliæ id genus, ſi quinquagenis florenis veneant, florenum pendant; ſi centum, duos; & ſic vlteriùs, creſcente pretio, creſcat onus, quod vendens æquè atque emptor inter ſe partiantur. Ab eo tamen eæ immunes ſint gemmæ & vniones, quæ in templorum ornatum

tum & Dei honorem cedent. Hoc autem onus nemini, credo, importunum aut molestum erit, cùm gemmæ & margaritæ vix ad aliud quid conferant, quàm ad inane minimeque necessarium hominum ornamentum: qui tamen, ob exiguum hoc grauamen, vanam sese ornandi insigniendique consuetudinem minimè deponent. Pluris scilicet sua illis est vanitas, quàm vt tantilli oneris euitandi causa, eâ carere velint.

Sextò, expediens quoque foret, omne aurum & argentum filamento serico superinductum, tenui aliqua pensiuncula grauari; vnicuique inquam auri argentiue vnciæ, pro eiusdem pretij & valoris diuersitate, stuferum vnum atque alterum tributi nomine imponi. Onus hoc plebeij non sentient, sed soli opulentiores, quos tamen id ab auro argentoue emendo minimè deterrebit. Idem & in alijs pluribus, minimè necessarijs rebus, quarum apud locupletes dumtaxat vsus est, vsurpari posset: eas semper excipiendo, quæ cultui templorum & diuino obsequio adhibebuntur.

Septimò, vnaquæque vnius camini domus, in Regio imperio parentibus locis sita, quinque quotannis stuferos pendat; duorum caminorum, decem; quatuor, florenum; senûm, sesquiflorenum; octo, duos; & quæ eos excedunt, tres. Quam hostis taxam velut æquo benigniorem censens, cuique camino florenum imposuit.

Vel

Vel quarumlibet ædium, per iuratos rerum æſtimatores, pretia penſentur; itaque domus mille florenos valens, ducenteſimum, aut centeſimum ſaltem, quotannis perſoluat. Quod aliàs factum non rarò: anno namq; MD.LXXXIV. ſeptingenteſimum, anno MD.LXXX. quingenteſimum, anno MD.LXXVI. trecenteſimum, anno MD.LXX. centeſimum, annis MD.LXVIII, LXXI. & alijs viceſimum; imò annis LXXVII. LXXXI. LXXXIII. decimum, domorum ad valorem taxatarum, nummum tributi nomine datum fuiſſe conſtat. Et eſſet hoc onus inter conductorem & locatorem diſpertiendum: in eius quoque partem aliquam veniant, quibus domus illæ ad annuum cenſum hypothecatæ ſunt, quò ipſum per plures diſtinctum & deriuatum minùs oneret.

Octauò, ſingulæ agrorum menſuræ ternos quotannis ſtuferos exſoluant, à quibus nulli, ſiue Eccleſiaſticorum, ſiue ſæcularium, agri excipiendi, quodcumque exemptionis priuilegium aut prætextum in contrarium opponãt. Neque verò perpetuum, id onus futurum eſt, ſed nonniſi quamdiu bellum durabit: illo enim finito, finietur. Scio fore, vt proceribus & Eccleſiaſticis nonnullis non vſque adeò gratum id accidat; at viſo, quod hinc conſequetur emolumento, & incredibili reip. Belgicæ totius bono, nullus dubito, quin oneri huic quàm liben-

bentiſſimè ſint ſubſcripturi, quò tandem aliquando belli huius ciuilis finem videamus: quem profectò viſuri ſumus numquam, niſi maris imperium occupemus; quod his, & alijs id genus, modis haud æquè parabitur. Vnde in ſpem venio, fore vt Eccleſiaſtici & Præſules Religioſi huic ſint oneri non inuiti aſſenſuri, cùm videant quod per bellum ſuis in prouentibus & reditibus patiantur diſpendium, & quod, illo ſublato, in ijſdem ſperare debeant compendiũ.

Confundunt nos hoſtes & rebelles Batavi, apud quos non ita pridem domorum ſingularum poſſeſſores ſeptimum, & agrorum quintum, ad reip. & communitatis bonum tuitiónemque nummum ſeſe perſoluturos libenter ſpoponderunt. cuius oneris hoc anno collectionem (ſi modò vniuerſæ ſine vlla exceptione prouinciæ in ipſum conſentiant) ſeptem florenorũ millionibus permulti parati sũt redimere.

Certè ſi Belgium Regium eo in reip. bonum zelo ferretur, quo Bataui rebelles in ſuæ, dum ſeptimum domorum, & quintum agrorum æſtimatorum nummum pendunt, ad cuius ſolutionem, æquatis partibus, & poſſeſſor, & conductor, & qui è domo agroue reditum percipiunt, concurrunt; è duplici hoc gratuito donatiuo ſupra vicenos florenorum milliones percipere Rex poſſet, cùm è tribus Belgij partibus ferè duæ Regio imperio pareant. Non quòd

domos & agros ad ſeptimum quintumq́ue, Batauorum ritu, nummum taxari quotannis velim aut conſulam. Abſit: quamquam peroptandum foret, vt eius, quod illi, nos dimidium, è domibus inquam quartum decimum, agris verò decimum, penderemus. Itaq́ue ſupra decem florenorum milliones parari, ex ijſq́ue centum nauium claſſis neceſſarijs omnibus inſtrui, & ſtipendiari poſſet. Ac tametſi hæc domorum & agrorum penſio dimidio foret minor, & quinque tantùm florenûm milliones inde conficerentur, quinquagenûm tamen nauium claſſis haud difficulter inde adornari valeret: quæ ad freti Britannici & Flandrici anguſtias ab incurſu hoſtili tuendas & occludendas fortaſſe, nimis quàm ſufficeret.

Si noſtrarum prouinciarum incolæ, ad decem ſtuferos, per ſingula capita quotannis pendendos, induci poſſent, florenorum millionem facilè hinc conficeremus. Etenim ſi verum ſit, ſupra octingenties mille familias in Belgio numerari, & quinquies mille Belgio Regio attribui; vnicuique familiæ quinque capitibus aſſignatis, facilè duæ myriades, & quinquies millia hominum, in eo cenſebuntur. quorum ſinguli (ſolos pauperes excipiendo) ſi capitatim decem ſtuferos pendant, millionem florenorum facilè Regi ſuo dabunt.

Si verò & Hiſpania (quæ, Batauicâ ſubductio-

ctione, octuplo plus agri continet, quàm Belgium vniuersum) si Neapolitanum & Siculum regna, Sardinia, Mediolanum, aliæque Regi parentes prouinciæ gratuita hac, è domibus, agris, hominum capitibus soluenda pensione suo vellent Regi gratificari; quantum hinc annuè auri & pecuniæ colligi posset, esto mediam tantùm eius quod indico, oneris partem subirènt!

Potentiam suam Hispania ignorat. Si enim Germania vix supra centũ triginta & tres agrorum *gemeten* (quarum mensurarum tres iugerum Hispanicum efficient) milliones, Gallia vix centum ac viginti sex, Italia vix septem & septuaginta, Anglia vix sexaginta milliones cõtineat; sola Hispania, in Europa (vtriusque Indiæ iura sub ea non comprehendendo) supra centenos septuagenos mensurarum illarum milliones, si Batauo calculatori credimus, complectetur. Vt autem demus, ex his triginta milliones inutiles & inferaces esse, restabunt adhuc centum & quadraginta satui idonei. quamquam fatendum sit, soli Hispaniæ, alijs quas in Europa possidet, prouincijs ei non annumeratis, ab hoc calculatore nonnisi centum & duodeviginti *gemeten* milliones consignari. Qui soli, etiamsi externos per Europam sparsos agros non connumeremus, & tertiam eorum partem vt infrugiferam à dicto numero detrahamus, ad ingentem classem parandam abunde suffi-

cient. Etenim si singulis mensuris ex duo de octoginta illis millionibus, medij regalis onus imponamus, facilè nouem florenorum milliones coaceruabimus. Si deinde & domus dimidium regalem pendere iubeamus, non minorem, credo, pecuniæ vim educemus. Esto verò, & domos, & agrorum mensuras, nonnisi quadrante regalis grauemus, certè tenue hoc grauamen vtrimque redactum, etiam supra nouem florenorum milliones quotannis pariet. In quod si & alia regna, & prouinciæ, quæ Hispani iuris per Europam sunt, & facilè septem & quadraginta mensurarum dictarum milliones explent, consentirent, & tum vnaquaque mensura nonnisi medio regali grauetur; ad sex florenorum milliones circiter is census ascendet: vt nihil interim dicam de ædibus, quæ non minorem dabunt. Sin quadrantem dumtaxat regalis, tum agri, tum ædes contribuant; tamen sex florenorũ milliones etiam hoc vix sensibile onus pariet. Quibus si dein nouem illos Hispanici agri & domorum milliones accenseamus, quindecim efficiemus, ædibus & mensuris agrorum singulis, nonnisi regalis quadrantem pendentibus. Si verò per vniuersas Regis ditiones, agri & ædes singulæ dimidium regalem pẽdere vellent, tricenos minimùm argenti milliones vtraque hæc pensio quotannis in Regium ærarium inferret; si regalem integrum, supra sexagenos. Et quid, quæso,

quæſo, id eſt, ſi, in quod Zelandicæ inſulæ imperrimè conſenſere, onus intueamur; cùm ſingulas agrorum menſuras ſex florenorum penſione grauari permiſere? Iam, cùm in illis vicies mille & ducentæ huiuſmodi menſuræ ſint, prouentus hic totidem libras Flandricas peperit. vt interim nihil dicam de ſeptimo nummo, quem omnes quas Inſulæ hæ continent ædes, ad pretium taxatæ pependerunt.

An verò ea quam dixi, ægrorum magnitudo & capacitas ex fide ſit, ſpondere non auſim; neque enim ex ea deſcriptione, vel laudem capto, vel ob eam ſugillari volo. Si quid in ea peccatum ſit, Batauo ſupputatori, qui eam anno ſæculi ſuperioris xc. Hermanni Ioan. Mulleri typis Amſterodami euulgauit, imputari velim: illius enim veſtigia hîc potiſſimùm ſum ſecutus.

Nonò, poſſet etiam ſemel, & non ampliùs, centeſimus è ſingulis domibus, valore earumdem penſitato, nummus exigi; ea tamen conditione, vt quæque ciuitas redactam inde pecuniam fructuoſis & vtilibus hypothecis applicare teneretur: ſimul etiam in ſe reciperet, omnes iuriſdictionis ſuæ domos ab incendij damno immunes præſtare, &, ſi quam ignis fortè corriperet, publico eam ære reſtaurare, & ei quam ante incẽdium habuerat, integritati & nitori reſtituere. Quod nulli non longè erit acceptiſſimum, cùm tantilla pecuniola rei ſuæ à confla-

grationis periculo cauere , & indemnitatem posset præstare. Idem & rure singulos per pagos obtinere locum posset. Quod verò ea pecunia annuè pareret fœnus,in nauium esset paraturam & stipendia, belli necessitate exigente, conuertendum: ea verò cessante, ex fœnerario illo prouentu annuus census adaugendus,summo opidorum & locorum cum compendio. Imò, bello iam prorsus sublato, ex huiusmodi censuum prouentu & accremento , ipsum æs capitale, ea intentione ab incolis locorum expensum, non incommodè poterit dissolui, vt tamen interim vrbes & loca ædes incendio absumptas & deiectas reparare teneantur.

Hæc,aliaque multò intolerabiliora grauamina persæpè sunt ab hoste vsurpata hactenus,& etiamnum vsurpantur. Adeò vt Regi subditæ prouinciæ nullam de vllo onere conquerendi occasionem habeant, cùm in bona, pia, iusta causa conferunt id, quod hostiles in mala, impia, iniqua, non illubenter, toties iam contribuerunt,& etiam hodie læti contribuunt; non è domibus solùm, sed & vniuersis possessionibus immobilibus pro taxatione à magistratibus ad rerum pretium ac valorem facta. Par certè est, Regias prouincias non minorem in vera & Apostolica religione promouenda, ac patriæ salute & incolumitate quærenda , zelum & studium ostendere, quàm hostis in falsa fide , &

noxia

noxia ſua libertate tuenda conſtabiliendaúe libenter & ſine vlla repugnãtia indies oſtendit.

Quæ omnia ſi per prouincias executioni mãdentur,& exactè ſeruentur, fiet,vt omne in mari commercium ſecurè tutoq; exerceatur, nec ab hoſtilibus nauibus interturbetur; omnis quà patet regio mirum in modum locupletetur; omne mercimoniorum & opificiorum genus ad obedientes Regi prouincias ex hoſtilibus traducatur; denique ſummo Rex grauamine exoneretur, hoſti verò omnis penè lucrandi materia & occaſio præcidatur.

Quis hoc prouincialibus graue fore dicat, cùm tam exiguo, & propè nullo, & quem ne ſentiant quidem, cenſu centuplũ ſint lucraturi?

Ab hoc autem onere nullus, quocumque tandem colore & ſpecie exemptionem prætendat,eximendus eſſet; non palatini, non Conſiliarij, ne quidem aurei Velleris Equites; ſoli illi, qui ſub Mendicantibus Ordinibus cenſentur, & palàm pauperes. Heri quoque & heræ pro famulis capitatim impoſitum cenſum pendere deberent, ita tamen vt ex addicta in annum mercede illis nihil propterea decederet.

Neque verò ſingula hæc reipſa executioni mandanda ſunt; ſed vel ſimul omnia, vel potior illorum pars, prout reip.expedire Rex iudicabit, & prout maiorem aut minorem ſubditorum erga eadem propenſionem, pro tem-

poris oportunitate,& rei periculo ac necessitate videbit.

Optarem porro, naues hasce bellicas in maritimis Flandriæ opidis stationem habere, vt omne rebellium cum Gallia & Britannia commercium & negotiationem, quantum fieri potest, disturbent & frustrentur.

Ceterùm isthæc nauium communibus prouincialium sumptibus parandarum ratio nuperum non est inuentum; sed iam olim etiam apud Romanos rerum dominos vsurpata, cùm singulæ, pro potentiæ & opum ratione, prouinciæ suo classem ære instruerent, fouerent, & per quæstores quæque suos menstrua stipendia adnumerarent. Hæ verò naues numerosissimam certè constituebant classem, qua orbis sibi imperiũ pop. Romanus vindicauit. ac si quam harum aut tempestate mergi, aut ab hoste intercipi, aut alio incommodo perire contigisset; illius mox loco aliam prouincia, cuius nauis perierat, sumptu suo sufficiebat; vt nec nauium vmquam numerus imminueretur, nec maritima victoris populi potentia decresceret.

Eadem & apud nos iniri posset ratio, si quæ iam antè commemorata sunt onera, aut pars illorum, vsu introducantur. Verùm ita, vt singulis in prouincijs denominati quidam & designati, prouenientem & nascentem hinc pecuniam, aut per se ipsi colligant, aut publicani qui-

quidam persoluto annuatim ære, damno emolumentoúe suo eam redimant: vt pro maiore minoreúe è grauaminibus illis prouentu in nauium illa instructionem & stipendium conuertatur. Vnde sex, octo, decẽ, aut etiam plures, habita prouẽtuum ratione, quotãnis Brabãtia naues emittere, & rebus omnibus necessarijs mẽstruè instruere posset. Deinde vt redactũ inde æs non in alias incideret manus, quàm eorum quos prouincia quælibet huic singillatim muneri præfecisset, & menstruum epibatarum & sociorum naualiũ stipendium curare ac soluere voluisset. Quod vt curarent impigriùs ac diligentiùs, suæ cuique prouinciæ essent naues assignandæ, vt nosset quænam ad se spectarent & sui iuris essent. Sic enim maiore eas solicitudine tamquam proprias curarent, eoque libentiùs de stipendio & rebus omnibus necessarijs ijs prospicerent, &, si quam fortè casu quopiam perire contingeret, eius in locum aliam sufficerent. Nullum tamen aliud in eas ius aut imperium haberent, quàm menstrua eis stipendia, necessaria instrumenta, commeatum, & alimoniam curare: vt sua Regi, eiusque Gubernatori, & summo maris Præfecto, in hanc communi patriæ auro adornatam classem absoluta plenaque maneat potestas, eam quò, quando, quemadmodum voluerit, emittendi, augendi, minuendi, & quæ, quibus expedire iudica-

bit, quosque promeritos censebit, supplicia ac præmia persoluendi: nullo alio prouincijs singulis tam in naues, quàm socios nauales & epibatas, relicto iure, quàm quòd illarũ curæ cum nauium instructio, tum stipendij numeratio committetur. quæ è suo ad hoc muneris corpore viros quosdam seligent, qui simul rationes ei, à qua delegabuntur, & cuius personam repræsentant, prouinciæ reddere tenebuntur.

XIV. Decimòquartò, mirè ad rem faceret, si Rex, quò aliquam Belgicis suis prouincijs locupletandi & lucri comparandi materiam suggereret, mercatoriam quamdam viginti, aut plurium etiam, nauium societatem erigi permitteret. in quarum instructionem varij promiscuè, tam Ecclesiastici quàm sæculares, tam nobiles quàm plebeij, ac potissimùm mercatores, vltroneè & spõte symbolam conferrent; & pro impensæ & contributionis ratione, optati quisque lucri particeps fieret.

Vt autem in hanc quisque societatem sortem libentiùs conferat, necesse eam foret quibusdam à Rege priuilegijs & immunitatibus donari. Atque inprimis, vt omnes hisce nauibus impositæ merces, tam ex Hispania in Belgium, quàm è Belgio in Hispaniam vehendæ, vlteriori inquisitioni non subiacerent.

Secundò, hæ tam euectæ quàm inuectæ, è con-

consuetis regi pendi vectigalibus minus (videlicet è quatuor partibus tres tantùm) persoluerēt, quàm quæ alijs nauibus ad societatem hanc non spectantibus imponerentur Quæ vectigalium detractio adeò ærarium Regium & prouentus non imminuet, vt insigniter etiam sit adauctura. Hinc enim consequetur Primò, vt plures longè vltrò citroque merces inuehendæ euehendæúe sint. Secundò Hispanæ merces in Galliam, Britanniam, Germaniam, & alias prouincias minore sint copia exportādæ. illa quippe regna & prouinciæ, quò huius vilitatis pretij aliquam ad se partem deriuent, è Belgio potiùs, vt duobus, aut etiam vno, in centum minoris eas emant, quàm ex Hispania has petent. Vnde maximum Regiorum vectigaliū & portoriorum consequetur augmentū. etenim cùm ex emptis in Hispania, indeque in Galliam, Britanniam, Germaniam, & alias regiones sibi non parentes auehendis, mercibus nonnisi vnicum, in euectione, Rex vectigal percipere soleat; ex omnibus Belgium petituris duplicatum id percipiet; primum in Hispania cùm exportabuntur, alterùm in Belgio cùm importabuntur. Vtque res exemplo notior fiat, fingamus Hispanas merces, cùm inde aliò exportantur, duodecim in centum pendere. ex omnibus ergo quæ in Galliam, Angliam, Germaniam, & alia loca auehentur, nōnisi semel duodecim in cen-

centũ Rex recipiet:inuectæ enim in terras quæ illi non parent, quidquã vt ei pendant, non est quod exſpectet. at ex ijs quæ ex Hiſpania in Belgicas emittuntur prouincias, bis portorium percipit, primum in Hiſpania, alterum in portubus Belgicis. Ac licèt è duodena illa parte nonniſi nouenam percepturus eſſet;ob duplex tamen iam vectigal,duodeuiginti in centum illi cedent, cùm è mercibus in alieni iuris terras exſportandis nonniſi duodecim.Iam cùm merces,aliò auehi ſolitæ,in Belgium ſint,quò imminutionem illam vectigalis ſentiant, auehendæ; fiet, vt Regio ærario, ob geminatum vectigal, multũ hac ratione accedat. Gallis quoque,Anglis, Germanis compendioſius erit, Hiſpanienſes merces è Belgicis portubus & emporijs auehere, perſolutis hîc vectigalis loco decem aut vndecim in centum, quàm in Hiſpania duodecim; partim ob hoc quod dixi compendium, partim quòd regnis illis commodius multò ſit, illas è Belgio quàm Hiſpania petere, ſumptu quoque & periculo minori.

Tertiò, vt omnes Hiſpanas merces,in Galliam, Angliam & Germaniam auehendas, nouo vltra conſueta & priſca vectigalia,Rex oneregrauaret, alia inquam quinque in centum illas pendere iuberet; à nouo autem hoc onere exciperet illas, quæ ex Hiſpania in Belgium Regium dictæ ſocietatis nauibus importarentur.

tur. Erit hoc dictæ ſocietati cum primis lucroſum, & in cauſa, vt quæ ex Hiſpanicis opus habebunt exteri, è Belgio petituri ſint, quò grauamen hoc vel totum, vel in parte effugiant. Neque inſolitum ac nouum hoc eſt, nec etiam exteris graue aut inſolens poteri viderit; cùm & alij Reges & Principes, quotieseis viſum fuerit, & expedire iudicauerint, ſuorū regnorum merces ad aliorum Principum prouincias conuehi ſolitas, nouis tributis grauare pro more habeant, nemine aduerſus illa reclamante, aut ipſos iniuſtitiæ damnante; quòd Reges ac Principes ius habeant domi ſuæ nata, & ad alienos auehenda, cùm placuerit, grauandi.

Quartò, vt omnia opera mechanica, quæ in Regio Belgio aut modò fiunt, aut olim fieri ſolita erant, at modò in rebellibus, aut extra Regium imperium ſitis locis fiūt, prohiberentur, capitis pœnâ inuehenti propoſitâ; nulla verò alia permitterentur, quàm quæ in Regio Belgio facta, dictæ ſocietatis nauibus vehentur. Vnde fiet Primò, vt hoſtis aut tota, aut potiſſima opificiorum ac manualium operum negotiatione priuandus, ideoque pluſquam octoginta familiarum millia, hiſce operibus tantùm victitantia, Hollandiam deſertura ſint, omni propè horum operum ad exteros auectione, hoc edicto Regio, excluſâ aut prohibitâ. Erit hoc in cauſa, cur annuus rebellium

pro-

prouinciarum prouentus incredibile paſſurus ſit detrimentum & imminutionem. hiſce enim mechanicis & opificibus, qui numero plurimi, migrare & alias ſedes quærere compulſis, non modica prouentuum Hollandicorum, qui è rerum comeſtibilium & conſumptibiliũ emptione & vſu colliguntur (in quibus tamen annui eorum prouentus pars potiſſima ſita eſt) portio annuatim deperibit. Hoc autem Regium edictum non eſt quòd exteræ prouinciæ & regna carpant, cùm alia id genus edicta decretaque apud ipſas etiam in vſu ſint. Sic enim Anglorũ Rex omnem externam lanam, ſtannum, plumbum; Francorum, diuerſa exterorum opera, atque in primis adamantes ſculptos & politos, in regna ſua inferri vetant.

Vtque propiùs rem tangamus, & ad particularia deſcendamus, prohibere & excludere Rex poſſet, 1. Omnes eos pannos laneos, nigros & albos, quos vocãt *Hollantſche ſaeyen*, Hiſpano vocabulo *Xergas*, vel *Anaſcotes*: qui Leydis aut Delfis vt plurimùm conficiuntur, cùm Honſchotanorum, Brugenſium & Iprenſium merces ea ſit propria. 2. Telas lineas, tum albas, eaſque partim ſubtiles, & arctè complicatas & conſtipatas, partim ſpiſſiores in longum expoſitas, ac diductas; tum etiam crudas & naturales, nec ſoli expoſitas; quas Harlemium potiſſimùm ſuppeditat, cùm tamen apud Siluæducenſes,

censes, Gandenses, Endouienses, & alios non minore industriâ & arte parentur. 3. Omnia mapparum & mantilium lineorum floribus intextis genera, Cortracensium opus & artem. 4. Telas gossipinas albas, quas Brugenses submittere solent. 5. Varia Antuerpiensium opera, putà omnigenos pãnos sericos, floridos, holosericos villosos, damascenos, & alios id genus; alios item è lino & serico, alios è serico & lana diuersimodè, cum floribus & sine floribus opere phrygio textos; rasos alios, alios non rasos; alios auro falso in speciem intertexto (quos propriè dicunt *smallekens van garen, sÿde ende valsch goudt, boeren-kaffaen, garen damaskens, ghenopte, buratten*; vel *telillas de hilo, dichas de seda, y con oro falso, telillas de borlilla, o motillas, caffates de hilo, damasquillos de hilo, fileyles de todas suertes.*) item aciculas, acus, vncinulos, æreas & ferreas zonarum fibulas, lineas omnis coloris ligulas, denique omnis coloris filum lineũ. 6. Tapetia, quibus texendis Bruxellenses, Antuerpienses, Aldenardenses, & Angianenses excellunt. 7. Eos pannos laneos, quos *cangeanten, baracanen, pluymkens, ghefigureerde trÿpen*; aut *lanillas negras y de color, baracanes ò albornoses, telillas de mõte, tripillas terciopeladas*, vocitant; quos, vt proprios, sibi Insulenses & Tornacenses vendicãt. 8. Filum candidum & sole dealbatum; hoc sibi Gandenses. 9. Tibialia lanea, varijs è filamentis

tis ſine ſtamine & ſcapo texta, & alias id genus veſtes, vt interulas, & ſoccos pedales, quæ Bruxella & Tornaco peti ſolent. 10. Omne filamẽtum lineum textũ, quod Bruxellis & Siluæducis parari texique conſueuit. 11. Texturam muliebrem & puellarem, tam è lino quàm ſerico textam (nomine *breynaet*, vel *punteria*) & alias id genus minutias, quæ in varijs Belgij Regij locis ac ciuitatibus confici ſolent: denique omnia manualia opera, quæ hiſce in prouincijs aut olim fieri ſolebãt, aut etiam modò fieri poſſent. 12. Pannos illos laneos leuidenſos (quos *baeyen*, vel *bayettas* vocant) quos iam Anglia in copia ſubmittit, & olim Poperingæ lociſque vicinis incomparabili compendio parabantur, & quorum in Luſitaniam, indeque in Indiam, multa millia ſubmittuntur.

Secundò, Regijs in Belgio prouincijs hac ratione inſigne accedet compendium & emolumentum, tum ob innumeram operarum multitudinem, quæ vndiquaque ad haſce prouincias, quò ſolita ſibi arte victum comparẽt, confluent (quod rerum comeſtibilium venditioni, & in ea annuis noſtris prouentibus, tantum adferet accrementum, quantum iſthæc opificiorum ablatio Hollandicis pariet decremẽtum;) tum etiam, quòd omnia hæc opera, per ſocietatis huius naues, non magno molimine alias in regiones diſtrahenda ſint. è quo ad prouincias

haſce

hasce Regem adhuc agnoscentes non contemnendum deriuabitur lucrum.

Porro ad pericula, quæ à mari & tempestatibus, atque à piratis imminebunt, auertenda (in quo potissima sita difficultas est) minimùm quadraginta aut quinquaginta præsidiarias, optimeque ad bellum instructas naues, freto, per quod solum enauigare hostis potest, necessariò oportebit insistere, ipsiusque ibi excursiones impedire. Etenim fieri posset, vt tres quatuorúe naues, pretiosis tum ex Hispania, tum Belgio petitis, mercibus onustæ in hostiles myoparones inciderent; quarum amissio duodecim aut quindecim centenis florenorum millibus vix pensaretur, irreparabili societatis huius cum damno, & incredibili hostium compendio. Superiore anno satis id ipsum in Anglis experti sumus. Vt hæc ergo pericula euitentur, plures in freto naues & milites, quàm hostis, Rex habeat oportet, tam ad omnem, vel partem saltem, negotiationem Hollandorum cum Gallis & Anglis disturbandam, quàm ad nauibus hisce socialibus securitatem & præsidium præstandum.

Non me fugit, quod ab ærea Hispanorum pecunia (*quartos* vocant) societas hæc accipere damnum queat. mercibus enim Belgicis in Hispaniam, vt ibi venumdentur, appulsis, & argenteæ pecuniæ defectu, ærea diuenditis; se-

quitur, vendentem, si aureâ vel argenteâ sibi solui velit, aut quinquaginta in centum perdere debere (quod malum vt euitet, necesse habebit merces suas dimidio plus grauare; quod in graue plebeculæ dispendium cedet:) aut, si æream recipere non abnuat, quã dein cum argentea commutet, eum, quò fœnus illud collybisticum euadat, merces suas antequã distrahat, grauare; aut, si æreâ suâ alias Hispanienses emere cupiat, putà oleum, salem, vinum, & alias huiusmodi ibi natas, has ideo illum empturum carioris, quòd pretium illarũ æreâ sit persoluturus. Hispaniensis enim venditor tantum suas grauat merces, quanto æs argento est vilius & pretij minoris. vnde cùm hasce in Belgium inuehet, emptorem vicissim eas grauare oportebit, ne quod in ijs detrimentum accipiat. Quod nimis quàm graue onus est. imò, nisi aliqua æreæ huiusce pecuniæ Hispaniâ proscribendæ ineatur ratio, fiet breui, vt, quod ex permutatione apud nummularium æris in argentum sequitur dispendium, ad centesimũ in centum adscendat. Misera sanè res, à qua totalis regni opulentissimi ruina dependet. Et ea nostra est cæcitas, vt malum in quo versamur, minimè videamus, & nos vltrò in pecuniarias hasce voragines præcipites demus; aut simplicitas & vesania, argentum vt æri postponamus; aut arrogãtia, vt toties nobis proposita remedia

vsur-

vſurpare nolimus; aut denique tam iurati patriæ ſumus hoſtes, & ſingulares iuratiſſimorũ hoſtium noſtrorum amici, vt dextrâ illorum propinatum aconitum vini inſtar ſapidiſſimi obbibamus, totali patriæ noſtræ cum deſtructione & interitu, & orbis ludibrio, vt qui aurum omne & argentum à nobis proſcribimus, quò æra redimamus; & quotquot Europâ ſunt gentes auro noſtro diuitamus, quò ipſi ad inopiam redigamur. Itane nos cæcutire ac deſipere, & non videre, omnium nos gentium hac ratione ludibrium fieri & opprobrium? Nupera & inopina illa aquarum nos inundatio mirè afflixit; turbauit quoque, non immeritò, inexſpectata illa Anglorum in agrum noſtrum ſuſcepta expedito; hinc totâ Hiſpaniâ concitamur, & identidem arma procudimus. & iure merito: neque enim vlla in hac re diligentia & vigilantia eſſe nimia poteſt. Et interim æreo hoc diluuio libenter, & vltrò, obrui gaudemus, & per vniuerſum regnum noſtrum æra ſpargimus, decuplo nocentius paritura damnum, quàm decem Anglicanæ Batauæque claſſes.

Oggeres mihi fortè, artis nõ eſſe, verbis malum indicare ac patefacere; at pretium operæ facturũ, & bene de Hiſpania vniuerſa meriturũ illum, qui commoda eius pellẽdi remedia ſuggeret. Non deerunt, credo, Hiſpaniæ noſtræ, ad noxiam & æruginoſam hanc æreæ monetæ

pestem, suo è corpore perpetuò & irreuocabiliter proscribendam media. Itaque vt ad rem veniamus, hæc (vt mihi quidem militi videtur) iniri posset ratio eius aut prorsus eliminandæ, ad pristinum valorem reducendæ.

Primò, Rege iubente, simul & semel, sic vt nemini reclamare liceat, ad veterem ipsa æstimationem & pretium suum reducatur, tamquā si vno vehementiori opiato, vna posi bene antimoniata, aut magna rhabarbari copia semel hausta, malum vniuersum semel de ægri corpore pelleretur. Quod licet permultis graue foret, cùm triginta penè milliones in ærea illa moneta Hispania continere dicatur; non tamē omnibus & singulis. Plebs enim rarò pecuniosa est, & vix opes in arca coaceruat: opulenti porro & locupletes iacturæ huic, quæcumque sit, ferendæ sunt, neúe illis adeò grauis hęc accidet. vt vix centum regalium hinc singulos iacturam putem facturos. Quid, obsecro, hæc sunt, vt propter eam totius regni bono incolumitatiq; consuli negligatur? Diluuium quoddam esse crede, quod, sicut nuper aliquot solùm prouincias, iā vniuersam quà patet, Hispaniam inundet. Neque verò prorsus suo æs pretio decidet, sed debitum retinebit, si ad eam normam & modulum redigatur, quam olim FERDINANDI Magni, CAROLI V. & PHILIPPI II. Regum temporibus habuit. sicut enim, quod

quod tunc *ochauo* dicebatur, & binis valebat marauedinis, modò *quarto* vocatur, & quaternis valet marauedinis; ita quod modò *quarto* dicimus, tunc rurſus *ochauo* nominaretur, & iam nõ quatuor, at binos tantùm marauedinos valeret. & quod olim *quarto* appellabamus, quatuorq́ue marauedinis æquiualebat, ac iam dicitur *quartillo*, & octo appenditur marauedinis; iterum priſtinum nomen *quarto* recuperaret, & quatuor marauedinos complecteretur. Et quamquam damnum hoc nonnemo quindecim auri millionibus æſtimet; tamen, quòd ipſum per totam Hiſpaniam in tot capita & priuatos poſſeſſores ſit diſpertiendũ, hinc id vix à quoquam percipietur, & nemini non ob commune reip. bonum erit tolerabile. Et ſanè nefas eſt, vt quiſquis illius ſalutis & communis incolumitatis eſt amans, tantillum ſubire detrimẽtum detrectet; in re præſertim, à qua totius regni bonum & fortuna dependent; cùm neceſſitate exigente, eius causâ quiſque facultates, ſanguinem & vitam expónere teneatur; quantò potiùs exiguam quamdam ſubire iacturam, quò perniciem extremam & interitum ipſum à patriæ ceruicibus propulſet.

Secũdò, publico edicto propoſito, quidquid totâ Hiſpaniâ auri argentiúe ſignati eſt, ad ærarium, monetariaſúe officinas ſuas Rex curet deportari: grauiq́ue propoſita pœna caueat, ne

vllam, quacumque è caussa quis auream argẽteamúe pecuniam in quamcumque demũ rem expendat, quæ speciali Regio signo, hanc solã in rem statuto, signata non fuerit. quo signo accuso, cuique sua illata restituenda pecunia erit, regalem, è quatuor & triginta quibus nũc æstimatur, ad octo & triginta, aut etiam quadraginta, marauedinos augẽdo; & reliqua pecunia omni ad augmentũ hoc, pro pretij diuersitate & valore, reducta; ea tamẽ lege, vt quicumque ob accusum regium signum adauctam pecuniam recipit, tantum æreæ pecuniæ, Regio ærario, aut monetæ Regiæ præfectis numeret, quantum augmenti aut æstimationis, ex accusa Regia nota, pecuniæ suæ accreuit. E qua re nulli quidquam decedet, itaq́ue paulatim omnem pecuniam æream sui Rex iuris faciet: quã dein, non sine vbere fructu, ad veterem sub Ferdinando Magno eiusq́ue successoribus Regibus, vsitatam æstimationem, aut etiam inferiorem deducere poterit. Iam cogitet quisque & subducat in genere, quot per totam Hispaniam regalium milliones, tum auri, tum argẽti, apud quoslibet reperire sit; & videbit, omnem propè æream pecuniam hac ratione in Regium ærarium illatum iri.

Æri verò huic in potestatem suam iam redacto, peculiarem notam & signum Regium imprimi curet, quo constet, illud ad veterẽ esse

æstimationem deductũ. Hac verò pecunia sic signata, emat ab ijs, qui aurea argenteaúe carẽt, æream non signatam quam habent: exempli gratia, duobus quartis signatis (qui ratione signi huius ad ochauum deducti erũt) quartum vnum non signatum redimendo: itaque breui omne æs ad pristinum valorem, damno subditorum nullo, suoque nullo Rex reducet.

Quòd si fortè cuipiã graue videatur, Regio ærario illatam pecuniam, & ratione noui signi adauctam, dominis suis reddi; iubeat Rex vniuersam regni sui pecuniam ad officinas suas monetarias toto regno sparsas deferri, cudiq; ex illa auream argenteamúe, varij valoris & æstimationis, pecuniam nouam, cuius pretium supra priùs consuetum inaugeat; adeò vt quod antè quatuor ac triginta marauedinos, nunc octo & triginta, vel etiam quadraginta valeat. Fecit id sæculi sui Principum prudentissimus Archidux ALBERTVS in Belgio, cùm in omni propè genere auream argenteamq; pecuniam non sine insigni emolumento, nomine suo signatam cudi curauit. Feceruntque idem non vno loco Principes Regesque, qui nouam cusam pecuniam, eâdem manente materiâ, auxerunt; aut prioris pecuniæ pondus aut materiã minuerunt; aut meliorem in paullo deteriorem, lucro suo maximo, commutarũt. Reddat deinde Rex dominis pecuniam quam accepe-

 rat,

rat,tot nimirum marauedinos quot receperat: ex lucro verò, quod per hoc æstimationis incrementum pecuniæ accessit, æream aliorum redimat: quam in potestatem suam iam redactam ad antiquum valorem restituat, signo aliquo & indicio Regio adpresso, ex quo omnibus liqueat,eam nō pluris valere. ita vt *quarto*,quod nunc quatuor valet & continet marauedinos, dein nonnisi *ochauo* æquivaleat, & duos tantùm marauedinos valore suo contineat.

Sin durum videatur, omnes ad auream argenteamúe pecuniam suam ad monetarias officinas Regias deferendam compellere,possent omnibus deferentibus in singulos regales, bini marauedini in lucrum dari,vt eius possessores hac emolumenti spe ad eam deferendā inuitarentur. E qua pecunia, vti dictum, aurea argenteaúe noua cudi posset, regalem ad quadragenos marauedinos augendo,aut(quod in idem recidit) in singulis regalibus materiæ valorem ad sex marauedinos imminuendo. Atque hac ratione non tantùm nullum Hispania pateretur damnum, sed quotquot auream argenteamúe pecuniam ad Regium ærarium deferrent, ipsam etiam cū lucro reportarēt.Idem etiam lucrum assignari posset aurū argentumúe non cusum,ad Regias officinas monetarias, quò pecunia inde cudatur, deferentibus. quæ res

res non leuem ærario accessionem addet.

Quòd si graue hoc alicui augmentū videatur, is meminerit, in regnis ac prouincijs exteris, regales qui in illis cuduntur, sex, quinque, aut minimùm quatuor, marauedinis, quoad argenti valorem, Hispanicis inferiores esse; & Hispanicos in vero valore suo sex, quinque, vel ad minimū quatuor marauedinis, exteris meliores ac probatiores esse. Vt proinde nemo meritò mirari aut offendi debeat, si ad aliorū regnorum & prouinciarum pecuniæ valorem Rex deducat suam.

Tertiò, posset Rex Hispaniâ vniuersâ, ab omnibus centesimum æstimationis omnium ædium ac terrarū, in ærea pecunia pretio nunc vsitato, exigere; aut, quod optandum magis, ab vnaquaque per Hispaniam domo, regalem vnum, à singulis etiam terræ mensuris, quas in Belgio *ghemeten* vocant, (è quibus tres conficiunt iugerum Hispanicum) medium regalem, ærea pecunia persoluendum deposcere. quæ res magnam æreæ pecuniæ in Regium ærarium partem traducet, si vera sunt quæ Batavi scribūt, reperiri in Hispania huiusmodi mensurarum terræ milliones octodecim supra centum, quæ iugerûm milliones minimùm triginta & nouem efficiunt. Qua re constituta, ex hoc medio regali è terris & agris collecto, Rex supra quatuordecim florenorum

milliones facilè colliget: regalis verò è singulis colligendus domibus, secundùm Batauicam subductionem, quatuordecim milliones longè superaret. quo fieret, vt longè maxima æreæ pecuniæ pars, in qua regales & suprà recensiti medij regales numerandi forent, sine cuiuspiam graui damno, ad Regium ærarium deueniret. ac licèt suprà memoratæ terrarum mensuræ tertia, imò parte media infra Batauicum calculum essent, magna tamen æreæ pecuniæ pars Regias in manus incideret.

Vt verò certiùs ad felicem æreæ pecuniæ eliminationem deueniatur, posset Rex à singulis, qui nec in ædibus, nec in agris quid proprij possident, medium regalem in ære numerandum exigere, pauperibus exceptis. A singulis etiam nouè in posterum intentandis litibus regales duos: à contractibus & instrumentis tabellionalibus singulis, qui centum regales excedunt, regalem medium in singulos centenos regales. atque hæc omnia in ærea pecunia numeranda præscribi deberent. Et quia duo postrema futuri magis, quàm præsentis sunt temporis, possent illa singulis in opidis locisq; locanda exponi, & præsenti pecunia redimi. Denique si ne quidem hæc ad omnem æream pecuniam ad Regium ærarium transferendam sufficiant, posset Rex singulis per vniuersam Hispaniam equis, mulis, asinis, tauris, bobus,

vaccis,

vaccis,ouibus,ſimilibuſque,quartum vnum, id eſt quatuor marauedinos, in ære numerandos vt tributum imponere. Quæ res, licet perexigua ſit, non exiguam tamen æream pecuniam ad Regium ærarium tranſmittet.

Erunt qui putabunt ab Eccleſiaſticis non leuem hîc difficultatem mouendam. at ego mihi perſuadeo, in onere adeò tenui, nullam illos iuſtam querimoniæ habituros occaſionē, cùm ex æreæ grauis pretij pecuniæ eliminatione, prouentuum ſuorum annuorum non leue percepturi ſint incrementum: nam cùm hos in ærea pecunia longè ſupra valorem & pretium ſuum naturale inaucta, recipere cogantur; aut è frumenti, olei, vini, lanarum, aliorumque prouentuum ſuorum per venditionem diſtractione, præter æream, aliam pecuniam nō colligant, fit vt, ſi illam cum aurea argenteaúe velint commutare, vix mediam modernæ æſtimationis æreæ pecuniæ partem conſequantur. quæ damna, ære ad priſtinum valorem reuocato, euitabunt, integroſque prouentus ſuos in aurea argenteaúe pecunia ſine vllo diſpendio recipient. quod vt fiat, meritò aliquid de ſuo ſemel contribuent, præſertim cùm quod daturi ſunt, longè ſit pretio emolumenti. quod accepturi ſunt, inferius. Et ſanè non minora ab Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, pro regni totius incolumitate exſpectanda ſunt, maximè

cùm

cùm quidquid isti dignitatis munerisque possident, à Regia ferè munificentia & manu possideant. Nec sine insigni ingratitudinis nota, Regi benefactori suo tantillam videntur rem posse denegare, à qua ingentia toti regno in extrema propè necessitate constituto accessura sunt compendia. Adeò vt quisquis rem hanc in dubium vocare vellet, grauem, meâ sententiâ, Ecclesiastico Hispanico nomini notam esset inusturus.

Ac licet vnaquæque iugeri pars tertia tantùm quadrante regalis oneraretur, ex hac tamẽ re supra septem florenorum Rex milliones cõsequeretur. adde his septem milliones ex quadrante regalis ex ædibus colligendo, inuenies ex vtroque hoc onere argenti milliones quatuordecim. Iunge aliũ regalis quadrantẽ singulis, qui quinque minimùm in quaque familia sunt, hominibus imponendum, & reperies florenorum milliones facilè triginta. Quibus si quatuordecim illos, quorum iam memini, iunxeris, quatuor supra quadraginta florenûm milliones conficies. Adhæc è nouè intentandis litibus, & contractibus corã tabellione conficiendis, pecuniaque è recensitis pecoribus & armentis redigenda, non leuis etiam pecunia corradetur. Vt proinde in spẽ veniam, his sex capitibus, æs omne ad Regias breui manus deuenturum.

Neque

Neque verò graue hoc meritò Hiſpaniæ videri debet, cũ Batauі nuperrimè Ordinibus ſuis, ædium æſtimatarum nummum ſeptimum, agrorum verò quintum conceſſerint. Et Zelandi diebus his ſuperioribus, in ſingulas agrorum ſuorũ menſuras (quæ tertiam iugeri partẽ ſtatuunt) ſex florenos paſſi ſint imponi. E qua conceſſione viginti ſupra ducena librarum Flandricarum millia Ordines colligent, cùm Zelandia viginti ac ducenties mille menſuras agrorum numeret. Indignum ſanè foret, Hiſpaniam in optima cauſſa, regalem, aut dimidium, aut quadrantem eius, in ſingulas id genus terræ menſuras negare, cùm Zelandi in peſſima, pro ſingulis menſuris quatuor & viginti regales, volentes lubenteſque pependerint.

Quartò, poſſet præterea Rex ab omnibus, qui per vniuerſam Hiſpaniam, ſęculare munus aut officium quodcumque, Regia donatione obtinent, muneris illius anni vnius prouentũ in ærea pecunia numerãdum, exigere. quod nulli, credo, graue accidere poterit. neque deerunt qui cum ingenti gratiarum actione, illa lege, & munia ambiant, & à Regia manu accipiant. E qua re vna omnem propè æream pecuniam paulatim ad ſe Rex trahet: quam deinde ad veterem æſtimationem deductam, in quas volet, res impendat. Ita fiet, vt Hiſpania,

noxia hac pecunia, quæ ſupra iuſtum valorem excreuit, leuetur, & Rex non exiguum emolumentum referat, vtpote qui per hoſce officiorum vnius anni prouentus in ære numeratos, factus dominus triginta millionū æris, quibus nunc Hiſpania obruitur, vbi illos ad antiquam æſtimationem reuocauerit, quindecim milliorum ſit lucrum facturus. Etenim ærea pecunia ad mediā illius quod nunc æſtimatur, partem reducta, ita vt *ochauo*, loco duorum, nonniſi vnum; *quarto*, loco quatuor, tantùm duos; *quartillo*, loco octo, quatuor ſolùm tunc marauedinos faciat; dictorum quindecim millionum lucrum Rex referet.

Dicet hîc aliquis, plurimorum hanc rem annorum eſſe: neque enim hoc ab alijs exigi pretium poſſe, quàm iis qui deinceps officiis donandi ſunt: vnde priùs mors iam de facto munia poſſidentium exſpectanda foret, quàm hinc aliquid ſperari poſſit. quæ res in multos abitura videtur annos, cùm æreum Hiſpaniæ malum remedio egeat præſenti.

Sed occurri huic obiectioni poteſt, ſi munia ad Regem poſt poſſeſſorum mortem deuoluenda, nunc certis aliquibus poſt dominorum mortem poſſidenda addicantur; qui vnum futuri aliquando prouentus annum per anticipationem in ære numerent. Quo fiet, vt omne paruo negotio æs ad Regem deuolua-

tur.

tur. Neque deerunt vnquam, qui cum hac conditione lubentes onus hoc ſubeant. Quòd ſi contingeret, eos qui in anteceſſum, viuentibus adhuc poſſeſſoribus, pecuniam numerarunt, decedere è vita; reddi huiuſmodi pecunia heredibus illorum, in eodem quo numerarunt, ære poſſet; quam ab iis rurſus Rex accīperet, in quos talia de nouo officia conferret. ita fieret, vt neque Regi, neque prioribus numeratoribus quidquam deperiret.

Si verò Pontificia conceſſione impetrare idem in Eccleſiaſticis beneficijs poſſet, vt poſt eorum qui nunc ea obtinent, mortem, illorum futuri poſſeſſores anni vnius prouentum in ærea pecunia Regi adnumerent, non magna difficultate omne æs ad Regem deueniret, ab eoque ad veterem iuſtam, materiæque debitam æſtimationem reduceretur.

Quintò, poſſet deinde Rex ex omnibus coram tabellione, aut quocumque alio in publico munere conſtituto, factis inſtrumentis, ducentos regales excedentibus, vnum ochauum, duos nimirum marauedinos, depoſcere: ita vt ex ſingulis ducentis regalibus, qui in quocumque contractu continerentur, duos marauedinos, ochauum nimirum vnum, in ære numerandos, conſequatur. quæ res, incredibile, quãtum ærææ pecuniæ theſauris Regijs illatura, Hiſpaniamq; ab illa exoneratura ſit; cùm ferè

Hiſpani

Hiſpani priuatim publiceq́ue ſine tabellionis, aut alicuius in publico munere cõſtituti, interuentione & ſignatione nihil omnino peragãt. Singulos dein contractus Regio aliquo ſigno, ad hoc conſtituto, firmari oporteret, ſine quo cõtractus omnis valoris expers cẽſendus eſſet: quod ſignũ, niſi numerato ære prædicto, addi minimè poſſet. Quidquid etiã nouarũ litium poſthac Hiſpaniâ totâ naſcetur, poſſet ęreâ aliquâ pecuniâ onerari: adeò vt in ſingulos regales centum, vel actor, vel prior litem intentans, binos teneretur marauedinos, ſeu ochauum, (antequam ad agendum, litemúe intentandam admitteretur) Regio miniſtro adhoc delecto numerare. quod omne poſtmodum ab eo qui cauſſa caderet, eſſet prænumeranti refundendum. E qua re nemo facilè credat, quãtum æreæ pecuniæ ad Regem deuoluendum ſit; cùm dici vix queat, quantum indies nouarum in Hiſpania vniuerſa litium exſurgat.

Feceram horũ duorum poſtremorũ modorum mentionem ſuprà art. XIII. dum redactam inde pecuniã in Regiæ claſſis ſubſidiũ conuerti poſſe dixi. Verùm, poſſet priùs illis Rex vti, ad omnem æreæ pecuniæ eliminationẽ, aut illius ad debitum materiæ ſuæ valorẽ reuocationẽ: eaq́ue iam feliciter confectâ, omnem ſequentibus annis hinc conflatam pecuniam ad huius claſſis

æstimationem deductũ. Hac verò pecunia sic signata, emat ab ijs, qui aurea argenteáue carẽt, æream non signatam quam habent: exempli gratia, duobus quartis signatis (qui ratione signi huius ad ochauum deducti erũt) quartum vnum non signatum redimendo: itáque breui omne æs ad pristinum valorem, damno subditorum nullo, suoque nullo Rex reducet.

Quòd si fortè cuipiã graue videatur, Regio ærario illatam pecuniam, & ratione noui signi adauctam, dominis suis reddi; iubeat Rex vniuersam regni sui pecuniam ad officinas suas monetarias toto regno sparsas deferri, cudiq́; ex illa auream argenteamúe, varij valoris & æstimationis, pecuniam nouam, cuius pretium supra priùs consuetum inaugeat: adeò vt quod antè quatuor ac triginta marauedinos, nunc octo & triginta, vel etiam quadraginta valeat. Fecit id sæculi sui Principum prudentissimus Archidux ALBERTVS in Belgio, cùm in omni propè genere auream argenteamq́; pecuniãm non sine insigni emolumento, nomine suo signatam cudi curauit. Feceruntque idem non vno loco Principes Regesque, qui nouam cusam pecuniam, eâdem manente materiâ, auxerunt; aut prioris pecuniæ pondus aut materiã minuerunt; aut meliorem in paullo deteriorem, lucro suo maximo, commutarũt. Reddat deinde Rex dominis pecuniam quam acceperat,

rat, tot nimirum marauedinos quot receperat: ex lucro verò, quod per hoc æstimationis incrementum pecuniæ accessit, æream aliorum redimat: quam in potestatem suam iam redactam ad antiquum valorem restituat, signo aliquo & indicio Regio adpresso, ex quo omnibus liqueat, eam nō pluris valere. ita vt *quarto*, quod nunc quatuor valet & continet marauedinos, dein nonnisi *ochauo* æquivaleat, & duos tantùm marauedinos valore suo contineat.

Sin durum videatur, omnes ad auream argenteamúe pecuniam suam ad monetarias officinas Regias deferendam compellere, possent omnibus deferentibus in singulos regales, bini marauedini in lucrum dari, vt eius possessores hac emolumenti spe ad eam deferendā inuitarentur. E qua pecunia, vti dictum, aurea argenteaúe noua cudi posset, regalem ad quadragenos marauedinos augendo, aut (quod in idem recidit) in singulis regalibus materiæ valorem ad sex marauedinos imminuendo. Atque hac ratione non tantùm nullum Hispania pateretur damnum, sed quotquot auream argenteamúe pecuniam ad Regium ærarium deferrent, ipsam etiam cū lucro reportarēt. Idem etiam lucrum assignari posset aurū argentumúe non cusum, ad Regias officinas monetarias, quò pecunia inde cudatur, deferentibus. quæ res non leuem ærario accessionem addet.

Quòd

Quòd si graue hoc alicui augmentũ videatur, is meminerit, in regnis ac prouincijs exteris, regales qui in illis cudũtur, sex, quinque, aut minimùm quatuor, marauedinis, quoad argẽti valoré, Hispanicis inferiores esse; & Hispanicos in vero valore suo sex, quinque, vel ad minimum quatuor marauedinis, exteris meliores ac probatiores esse. Vt proinde nemo meritò mirari aut offendi debeat, si ad aliorũ regnorũ & prouinciarum pecuniæ valorem Rex deducat suã.

Tertiò, posset Rex Hispaniâ vniuersâ, ab omnibus centesimũ æstimationis omniũ ædium ac terrarũ, in ærea pecunia pretio nunc vsitato, exigere; aut, quod optandũ magis, ab vnaquaq; per Hispaniam domo, regalem vnum, à singulis etiam terræ mensuris, quas in Belgio *ghemeten* vocant, (è quibus tres conficiunt iugerum Hispanicum) medium regalem, ærea pecunia persoluendum deposcere. quæ res magnam æreæ pecuniæ in Regium ærarium partem traducet, si vera sunt quæ Batavi scribũt, reperiri in Hispania huiusmodi mensurarum terræ milliones octodecim supra centum, quæ iugerûm milliones minimùm triginta & nouẽ efficiunt. Qua re constituta, ex hoc medio regali è terris & agris collecto, Rex supra quatuordecim florenorum milliones facilè colliget: regalis verò è singulis colligendus domibus, secundùm Batauicam subductionẽ, quatuordecim

milliones longè ſuperaret. quo fieret, vt longè maxima æreæ pecuniæ pars, in qua regales & ſuprà recenſiti medij regales numerãdi forent, ſine cuiuſpiam graui damno, ad Regium ærarium deueniret. ac licèt ſuprà memoratæ terrarum menſuræ tertia, imò parte media, infra Batauicum calculum eſſent, magna tamen æreæ pecuniæ pars Regias in manus incideret.

Vt verò certiùs ad felicẽ æreæ pecuniæ eliminationem deueniatur, poſſet Rex à ſingulis, qui nec in ædibus, nec in agris quid proprij poſſidẽt, mediũ regalem in ære numerandum exigere, pauperibus exceptis. Quæ res nihil nouũ, & quod meritam excitare admirationem debeat, continet. nam & in ſingula capita Iudæi Regibus ſuis annuè certã pecuniam pendere cõſueuerant: & Romani non ſemel, hoſtium multitudine & robore territi, cùm ærarium militari ſtipendio nõ ſufficeret, capitatim certam pecuniã lubentes volenteſq; numerarunt. Quid? quòd ipſæ matronæ, nec iuſſæ, nec prouocatæ, ſed vltrò, muliebrem mundum Senatui, ne pecunia conſcribendo militi deeſſet, poſt Cannenſem cladem obtulerint, inter beneficia reponentes, quòd ſuo prodeſſe reipublicæ ornatu poſſent.

Deniqueſi ne quidẽ hæc ad omnem æream pecuniam ad Regium ærarium transferendam ſufficiant, poſſet Rex ſingulis per vniuerſam Hiſpaniam equis, mulis, aſinis, tauris, bobus,

classis erectionem ac sustentationem, conuertere: cùm quem Belgica grauamina dabunt, prouentus classi, ad omne mari commercium tutum reddendum, & omnem hostis negotiationem, in qua potissima prouentuum annuorum illius portio & potentia consistit, disturbandam, instruendæ abunde sit facturus satis.

Decimoquintò, vt propè omne maritimum ac nauale hosti eripiatur commercium, opus, meo iudicio, foret XV.

Primò, freti Gaditani angustias illi præcludere, eoque illum, quà licet, excludere. hoc si fiat, nullum ei in Mediterraneo, Ligustico & Adriatico mari, nullum cum omnibus Italis, Massiliensibus, alijsque in Gallicana illa ora gentibus, supererit commercium. Fiet hoc, si angustias illas quindenæ triremes, & totidem naues, armis & milite instructissimæ, insistant, quæ vicinis in portubus, Gibraltariensi & Alybensi (Ceutam vocant,) quorum hic in Africa, ille in Hispania, stationem ordinariam figant. Has suis Bætici sumptibus instruant; ea tamen conditione, vt quas de hoste referent manubias & prædas, ipsis ad impensam commodiùs sustinendam cedant. Nullum tamen aliud in hasce naues illis ius & imperium sit, quàm eas fouere, in socios nauales, militem & epibatas menstrua stipēdia curare, & rebus omnibus necessarijs instruere. Quid porro facilius, quàm

freti huius fauces & anguſtias communire, & illis hoſtem depellere, vtpote quæ varijs in locis vix tres in latitudinem leucas patent? Mirificè porro huic intento deſeruiet, ſi decem in Sardinia inſtructiſſima nauigia, Sardorum & Corſorum impensâ, parentur, quæ aſſiduè per Mediterraneum mare ſpeculando oberrent. quod illos haud illubenter facturos autumo, ſi captam ex hoſte prædam Rex illis concedat.

Secundò, Orientalis Indiæ nauigatione hoſtem excludere; cui ille ſupra ſexaginta vertente anno naues nongentis viris inſtructas, vltrò citroque commeantes dedicat, quæque ei modò tres, modò quatuor, modò quinque, & interdum etiam ſex, florenorum milliones, æquatis inter ſe annis, annuatim parit. Hæc porro nauigatio à nouem aut decem onerarijs, optimè inſtructis, in inſula à S. Helena cognominata ſtationem habentibus (ad hanc enim hoſtem ex Oriente domum redeuntem neceſſariò oportet appellere, ad nauigia inſtauranda, & ægros, quos habet plurimos, recreandos & curandos) tolli & impediri poteſt. Adeò vt quæ recenter à ſtatione prodit, & à nauigando hactenus ceſſauit, nauis vna duas tales, vtpote laceras, & præſidiarijs exhauſtis defenſioni inutiles, facilè ſuperatura ſit. quod eo factu facilius, quòd hoſtis vt plurimū nō niſi tres ad ſummum naues ſimul domum amandet, quas Rex, vti

vti & omnes quas conuehunt merces & pecunias, haud ægrè ſibi vindicet.

Tertiò, eum commercio cum Guineenſibus priuare. huic ille nauigationi ſupra viginti naues, quadringentis hominibus inſeſſas, aurum, elephantinos dentes, piper duplex (genuinum videlicet & ſecundarium) coria & pelles animalium, interulas goſſipinas in Batauiam reuehentes annuè impendit. quod autem ex illa prouenit lucrum, florenorum millionem, in Occidentalis Indiæ ſocietatis emolumentum cedentem, deductis impenſis excedit. Aurum enim, quod è montibus quibuſdam, tamquam æris ramentum, pluuiâ deradēte defluit, & ab incolis in peluibus collectum expurgatur, ſupra duodecies cētena florenorum millia; ebur, ſupra trecenta millia; & aliæ merces non pauciora pariunt: vt vltra ſumptus, qui ſanè ingentes & incredibiles ſunt, facilè florenorum millionem Occidua ſocietas hinc colligat. Quæ naues, quòd in opidis maritimis, & in littore potiſſimùm, viginti aut triginta leucis ab inuicem remotæ ſuas merces diſtrahant, & nouas coëmāt, à decem armatis & optimè inſtructis, paruo molimine ſubigi expugnariq; poſſunt. Ad hanc rem neceſſe foret, naues noſtras Februario menſe in Guineam appellere; quòd hoſtis nonniſi circa Aprilem diſceſſionem in Hollandiam parare ſoleat.

Quartò, commercium Groenlandicũ,quod potiſſimùm in balenarum captarũ adipe, muria & oſſibus cõſiſtit, & cui annis ſingulis quindecim ſedecimúe naues applicantur, & è quo pluſquam octingenta florenorum millia quotannis proueniunt,intercipere. Quod ſanè diſturbatu facillimum eſt, cùm naues eò proficiſcentes vix armatæ, & pauciſſimis epibatis ſint inſtructæ: tum verò, quòd Hollandi noſtris Vaſconibus transfugis,quos auro ſibi pararunt,& iam inde à Cantabria & Biſcaia ad ſe pellexere, deſtituti balenas capere nequeant. Vnde ſi Rex his ſine vlla exceptione delicti veniam indulgeret, & alijs promiſſis & ſponſionibus ad obſequium ſuum, hoſtique valedicendum pelliceret,in cauſſa eſſet vt,transfugis domum redeuntibus, mare Boreale balenarum ergò hoſtis frequentare ceſſaret.

Quintò,nauigationem in Moſcouiam, vnde pelles ferinas,cerã,linum,piſces,coria bouina,& alias id genus merces petunt. lucrũ huius quotannis ad ſexcenta propè florenorum millia pertingit. octo ad ſummum huic deſtinantur nauigia: quæ non difficile foret intercipere aut diſturbare, quòd à defenſoribus & armis non ſatis ſint inſtructa.

Hæc ſunt præcipua loca, ad quæ Hollandi merces deuehunt & auehunt, quibus per paucas Hiſpanorum naues excludi & impediri poſ-

possent. Et sanè probrosissimum, turpissimum, & numquam ignoscenda neglige̅tia est, Hispaniam omnium harum nauigationum dissipationem & exclusionem in manu habere, nec vmquam eam te̅tare, cùm tamen tot florenorũ milliones hosti ex illis annuatim proueniant, sempiterna gentis nostræ apud omnes cum infamia & opprobrio: quibus proinde persuasum est, nos studio bellum hoc alere, & illo velut delectari, dum hosti materiam vltrò quodammodo ad bellum hoc sustinendũ suppeditamus. Hoccine quis sibi persuadeat? hoc ne cuipiam in mentem veniat? vbinam nostra sapientia? an non meritò nos gentes omnes explodant? sexaginta ipsos annos, hoc nos tolerare potuisse? quàm intolerabile hoc Hispanorũ est phlegma & morositas? quis hũc nobis errorem condonet? esto & lapidei essemus & bruti, cęcitatem sanè hanc videremus. *Valame Dios!* Ignosce; Hispana enim cholera & bilis mihi mentem propè eripit.

Decimosextò, quò maris sibi Rex imperium vindicet, potentem in eo classem instruere necesse foret, quæ per varia dispersa loca hostem vndiquaque mari excludat, & plenum eius dominium Regi suo consignet. Quod vt sine Regij ærarij sensu & damno fiat, omnia regna & prouincias naues quasdam adornare, & impe̅sas earum sustinere opporteret; Castellam Vete- XVI.

rem decem, Nouam totidem, Lusitaniam octo, Aragoniam sex, Catalauniam octo, Valentiam & Murciam quatuor, Granatam tres, tres item Galæciam, & quatuor Cantabriam, duas Nauarram, Neapolitanum regnum denas, Siculum quinas, Mediolanensem denique Ducatum septenas. vniuersum octoginta naues: nisi, quæ artic. XIII. commemorata est pecuniæ colligendæ ratio, maiori classi parandæ sufficeret; tunc quippe maior vncuique regno & ditioni nauium posset numerus præscribi.

Magnates porro Hispaniæ, quos *Grandes* vocant, quiq; ibidem & domiciliũ stabile, & facultatũ suarũ prouentus habent, quorumq́; annuus reditus duos & dimidiũ auri milliones exsuperat, & quidquid sũt omnemq́; magnitudinẽ suã Regi debent, non pauciores quàm quatuor pro rerũ suarũ magnitudine, instruere naues par est.

Alios verò Duces, Marchiones, Comites Hispaniæ, quorum prouentus tres auri milliones excedit, non pauciores etiam quatuor.

Archiepiscopi quoque & Episcopi Hispaniæ, qui suam à Rege promotionem accipiunt, non etiam pauciores quàm quatuor, rebus omnibus necessarijs instruere naues debent, cùm tres ferè auri milliones suis è prouentibus annuè colligant. Non pauciores item Abbates, Præsules, Canonici, quorum reditus non cedunt prioribus, imò & superant non parum.

Mili-

Militarium Ordinum collegæ,quorum prouentus annuus in auri millionem & amplius excreſcit, duas etiam Regi naues adornent, cùm nonniſi Rege donante, ſacræ illi militiæ inſerantur.

His adde Indiam Orientalem:non enim poteſt hæc pauciores ſex, rebus omnibus inſtructas,Regi ſuo naues ſubmittere. Quid verò America,Perüaua, Mexicana, Braſilia, & omnia ei vicina regna, ſuo minus Regi dare poſſunt, quàm decem inſtructiſſima nauigia, eiſque de annua impenſa proſpicere? Itaque nullo ſuo impendio,& ſine vlla ærarij imminutione,centum nauium, de rebus omnibus prouiſarum, claſſem Rex habebit; quarum epibatis & militibus ea,quæ diximus, regna ac prouinciæ,Eccleſiaſtici & Magnates, ſtipendia menſtrua de ſuo numerarent.

Non poteſt autem hoc cuipiam videri graue: impenſis enim pro facultatum vniuſcuiuſq; magnitudine diuiſis & diſtinctis, onus hoc & grauamen nimis quàm exiguum, neu dignum vt id quiſquam ſuſcipere detrectet, eſſe deprehendetur. Hoc tamen Regi non mediocri erit ſubſidio, & pleno maris imperio parando,paciſiceque ſemper poſſidendo, peroportunum. quod vbi habuerit,non eſt quòd vlla cuiuſpiam arma metuat;cùm,ad omnium Regum potentiam infringẽdam, mare liberum ei velut viam ape-

aperiat. Etenim nauium ſuarum commoditate, potentiâ & adminiculo, ad ferè omnium Regum oras maritimas appellere, eaſque infeſtare poterit.

Cui voluntariæ claſſi ſi aliam quinquaginta ære ſuo paratarū nauium adiungere, & ſuſtentare vellet; vtraque vniuerſo mari occupando, æmulis omnibus edomandis, rebellibus haud ægrè compeſcendis, & vicinorum Regum ac Principum armis, vt nec lacertos mouere, nec prouincias Hiſpano Regi rebellantes auro & milite iuuare auderent, retundendis, nimis quàm abunde ſufficeret. Quamquam Regem ad hanc nauium impenſam minimè opus erit deſcendere, ſi quæ artic. XIII. nu. VIII. dicta ſunt, ſeruare velit: nam è pecunia, quam quibuſdam è rebus colligi poſſe dixi, duæ ingentes, etiam ſine vllo Regio impendio inſtrui claſſes poterunt.

XVII. Decimoſeptimò, non inconſultum foret, Antuerpiæ, & in nonnullis oræ Flandricæ locis ad hoc peroportunis, minora nauigia, vti actuarias, celoces, liburnicas, dromones, & minoris formæ triremes parari; quæ Zelandicas inſulas excurſionibus ſuis fatigarent, & exſcenſione ſubinde factâ agros depecularentur, neque vllum domi ſuæ tutum ac ſecurum eſſe ſinerent; vt bellum reipſa ſentiant, & non velut in tabula depictum videant, aut libris deſcriptum legant.

gant. Quod ſi fiat, mirabilem mox in harũ inſularum incolis mutationem videbis; quorum modò ea eſt arrogantia, vt ſeipſos non noſcant, cunctis inſultent, Regum omnium potentiam eludant, inuincibiles ſe eſſe rati, quòd quid bellum ſit, facto non experiantur; eorum denique ſuperbia etiam nubes tranſſcendat, quòd à nemine ſibi damnum aut vim inferri poſſe, & omnium ſeſe armis & potentia ſuperiores eſſe exiſtiment. Sentiant tantùm, nauium harum adminiculo, Regis ſui arma, & ipſis noctu diuque non quietis, non tutis domi eſſe liceat, longè, credo, aliter ſentient ac loquentur, & elatus eorum animus longè infra aggeres & aquas ſubſidet.

Decimooctauò, optãdum eſſet, omnia portoria, quæ *Licentias* paſſim dicimus, terra marique penitus inhiberi: his enim qui hoſtem priuat, è quatuor & viginti, quos habet, dentibus ſex ei quodammodo eripit, cùm tres florenorum milliones, idque nullo cum labore, Licentiæ ei quotannis indubiè pariant. Eâdem quoque operâ eſſet vniuerſum inter rebelles, & obedientes Regi prouincias, commercium inhibendũ, nulla vllis in rebus communicatio permittenda, acri in delinquẽtes propoſitâ pœnâ; vt hac ratione, omnis mercium propriarũ venditio, nec non emolumenta è vectigalibus, quæ tum inferendis, tum efferendis mercibus impo- XVIII.

ſita ſunt, prouenientia, hoſti eriperentur.
Prohibendos quoque cenſerem libellos illos quibus vltrò citroq; commeare liceat (quos *paſſportas* vocamus) qui non exiguum hoſti compendium annis ſingulis adferunt; cùm ſinguli ad annũ duraturi libelli ſeptem & triginta florenis redimantur. & quia plures id genus libelli tum à ſuis, tum à noſtratibus peti ſolent, magnam auri vim inde redigit. Si enim verum, quod vulgò fertur, quinque aut ſex huiuſmodo libellorum millia, pauculis abhinc annis, ab hoſte petita fuiſſe; inde efficio, horũ annorum ſingulis hac è pecunia & redẽptione, ſupra ducenta & viginti eum florenorum millia conflaſſe. tantum circiter quotannis efficient ſex libellorum millia. Eſt hoc inſigne inimico ad ſumptus extraordinarios tolerãdos ſubſidium; quod non ſine magno ſenſu, & cum notabili annuorum prouẽtuum decremẽto illi eripietur.
XIX. Decimononò, Regio Belgio commodũ, rebelli autem (cuius omnis vis & potẽtia in mercimonijs ac nauigatione ſita eſt) incommodum foret, & ſecuritati, tutelæ, munitioni patriæ parandæ perutile; ſi Noueſio Rhenus per Iuliacum Ruremondam; aut Rinbercâ per Gelriam opidum, Venlonam conduceretur: Moſa verò Traiecto per Haſletum & Dieſtemium; aut Ruremondâ per Weerdam, Herendaliam & Liram Antuerpiam; aut Ruremondâ,
Weer-

Weerdâ, Helmontio, confluentibus Bekâ & Adâ amnibus, Siluamducis, indeque adiuuante Rummâ fluuiolo per Turnholtum Herendaliam deriuaretur. aut, si fieri posset, (quod etiam magis optandum) Venlonâ per Pelensem tractum, accedentibus Adæ aquis, Helmōtium, inde Siluamducis & Bredam, dein per Rosendaliam, aut (si mauis) pagos *Groot-Sūdert, VVestvvesel,* & *Schooten*, tandem in Scaldin Antuerpiensium flumen se exoneraret. Enormi, fateor, in fossionem hanc opus foret impendio: at si emolumenta, quæ Belgio Regio hinc accedent, cum sumptibus componere velimus, illa vicecuplo his maiora fore comperiemus. Spōdere quoque ausim, Antuerpiam de suo non illubenter quadringenta florenorum millia in sumptus hos collaturam, & Bredam, Siluamducis, & Venlonam centies mille florenos singulas. adhæc, pagos, qui noui huius aquæductus adminiculo ab hostili vexatione & contributione immunes reddentur, quinquennio & sexénio proximo tantum in fossionis huius impensas libenter numeraturos, quantum eos hosti annuè dare oportuit. Vt verò hæ vrbes quám effudere pecuniam, tandem aliquando recuperent, possent, Rege annuente, pro æris alieni, quod idcirco contraxere, ratione, tolerabile quoddam ex omnibus hoc aquæ ductu venturis mercibus, vectigal & portorium tamdiu colligere,

ligere, vſque dum plenè ijs eſſet ſatisfactum.

Vt autem maius hinc hoſtis damnum ſentiat, eſſet Rinberkâ Venlonam vſque, non foſſa aliqua ſtagnans effodienda, ſed totus, quantusquantus eſt, Rhenus, profluens & affluens, in Moſam deriuandus. Vnde fieret, vt Grauia,Raueſteinia, Bommelia, Hueſdenum, Tila, & non modica Hollandiæ pars ab aquis Rhenẽſibus inundaret, nullam tamen vt inde Regiæ prouinciæ aut vrbes noxam acciperent; & vice verſa, multæ hoſtium ciuitates, quæ modò ob aquam vicinam propè inexpugnabiles videntur, putà Reſa, Embrica, Neomagum, Arnhemium, & quæcumque Leckæ flumini imminẽt opida, nec non Doeſburgum, Zutphania, Dauentria, Campi, aquis deſtituerentur, itaque exercitibus noſtris viã velut panderent, ad ſine vllo impedimento & difficultate in Hollandiã penetrandum, hoſtem cominus laceſſendum, arma ab agro noſtro in hoſtilem transferenda. & eſſet hæc optima cruenti huius, quod iam plus annis ſexaginta ceruicibus noſtris vndiquaque incubuit, belli finiendi ratio.

Incredibile dictu, quantum per horum fluminum concurſum & cõnexionem mercimonia florerent, vectigalia Regia increſcerent, & omnis quà patet regio omnigenis mercibus abundaret. Hinc enim fiet, vt omnis ad Belgium Regium cum Germanis omnibus negotiatio &

cor-

correſpondētia ſit commigratura: omnesquoque Leodienſium (quibuſcum nullum iam hoſti commercium eſſe poterit) merces vilioris multò ſint pretij futuræ, vtpote ab immenſo, quòd curru vehantur, ſumptuum onere iam liberæ. Augebit hoc immensùm mercimonia & negotia: nam vna triginta tonnarum (vt vocāt) nauis non plus quotidie merces, & earum vecturam aggrauabit, quàm modò duo currus; qui tamen ſimul non plus quàm tonnæ vnius onus vehere poſſunt.

Adhæc, horum fluuiorum adminiculo, omnia Rhenana & Moſellana per vniuerſam prouinciam vina commodè conuehi & traduci poterunt, vti & omnigenæ Belgicæ Hiſpanæq; merces per vniuerſam Germaniam longè lateque diffundi.

Hinc quoque fiet, vt, quod è Licētiarum inhibitione Germaniæ Principes paſſuri ſunt detrimentum, (vtpote quos propter eam multis exteris carere mercibus, & non modica mercium patriarum diſtractione fruſtrari oportebit) minus & tolerabile viſurum ſit; quòd, horum fluminum oportunitate, quaſcumque è Belgio nanciſci iam poterunt.

At dici non poteſt, quantum hinc hoſti oriturum ſit damnum: omnes enim merces, ac præſertim aromata, quas, horum & aliorum fluminum oportunitate, in Germaniam magnâ

copiâ

copiâ numquam non conuehere ſolet,apothecis ſuis recluſas tunc ſeruare cogetur; quas diu ſeruatas multorum annorum ſitus deteriores reddet, & pecuniariũ fœnus aggrauabit & demum conſumet. Cogentur præterea opifices, præ mercium diſtractionis, vẽditionis,operum defectu,patrijs ſedibus relictis, aliò commigrare.Ligno quoque & omni fabrili materia,quod horum fluuiorum aquâ potiſſimùm ad illum conducebatur,neceſſe eũ erit deſtitui; nos vice verſa eo abundare.quod in cauſa erit,vt, quod modò carò apud nos venditur,vilioris veneat; apud hoſtem verò pretium illius multò futurum ſit grauius. Adeò vt ei tunc nauis quadruplo maiori conſtitura ſit pretio, cùm fabrilem materiam è Suecia & Dania intolerabili cum impenſa; & ferrum, quod nunc Germania & Leodicenſes ei ſuppeditare maximè conſueuere, è Suecia (eſto Suecum hoc,dimidio quoad valorem minùs valeat) petere compelletur. Certum rei huius nuperrimè experimentum vidimus: cùm enim ferri in Hollandia pretium immensùm idcirco excreuiſſet, factum eſt, vt, nauibus binis quingenties mille ferri libras vehentibus, Leodio illuc per Moſam appulſis, ipſum penè dimidio decreuerit; ingenti certè omnium qui Regijs ad Moſam opidis & propugnaculis præſunt,cum probro & infamia,quòd ipſis aut conſcijs,aut inſcijs hoſti de re,qua maximè

ximè opus habebat, proſpectũ ſit. Idem de ſclopetis, plumbetis, alijſque bello ſeruientibus rebus eſto iudicium: quæ horum & aliorum fluminum interclusione, itinere verò terreſtri iam præpedito & ablato, dimidio pluris ei haud dubiè ſtabũt. Hæc deniq; fluuiorũ diuerſio agrum Tranſmoſanum, Limburgenſem, Falcoburgẽſem, & non paruam Gelrenſis, Iuliacẽſis & Brabantini partem à contributione hoſti pendi ſolita eximet; Luxemburgenſes à prædonibus & volonibus ſatis tutos reddet; hoſtem verò immenſa pecuniæ vi, & annuorum prouẽtuum parte non modica priuabit.

Non foret item abs re, ſi Scaldis Antuerpiẽſium flumen in vicinum Netham, Liram & Herendaliam vt decurreret, deriuaretur. Non minùs ad rem faceret, ſi Hulſtani per Stekenam pagum riuum effoderẽt, per quem tum Antuerpiâ, tum Gandauo ſua peterent & conducerẽt. cuius adminiculo Hulſtum mirum in modum communiri, eique de omnibus rebus neceſſarijs cõmodè proſpici, & vniuerſus Waſianus ager non mediocre percipere poſſet emolumẽtum.

Neque recens eſt hæc fluminum aliò conducendorum abducendorumque ratio, ſed & olim à Regibus, varijs in locis vſurpata. Sic lego Xerxem Perſarum Regem Athon mõtem maximum perfodiſſe & velis peruium feciſſe, vt commoda ex vno mari in aliud per eum claſſibus

bus eſſet nauigatio, & qui ob eum nauigantibus faciendus erat, circuitus euitaretur; etenim ad mille quingentos paſſus Rex eum à mari præſcidit.

Ptolemæus, Ægyptiorum Regum non poſtremus, iam inde à Peluſio ingentem effodit foſſam; quam, cùm tellus vniuerſa aquarum laborabat penuriâ, laxabat; cumq́ue inundationis nimiæ periculum imminebat, catarractis occludebat.

Sic & Myro, Ægypti item Rex, foſſam iugeri latitudinem habētem è Nilo ad nouena paſſuum millia effodi, & ad lacum, quem priùs parari iuſſerat, ad trecenta ſeptuaginta in circuitu milliaria patentem, vſque conduci mandauit.

Seſoſtris Ægypti quoque Rex, hunc ipſum Nilum, iam inde à Memphi vrbe regia procurrentem, in plures deriuauit alueos: cùm vt ager omnis aquis hiſce quaquaverſum irrigaretur, & ad regiam nauibus, ac proinde minore cum ſumptu, commeatus varijs è locis conduceretur; tum etiam vt Ægyptus, hoſtili excurſioni vndique patens, hiſce interſecta riuis, ab eadem aliquatenus foret immunis.

Eamdem ob cauſam Perſarum Rex Cyrus Gindin flumen in quadraginta & amplius amnes diſtinxit.

Nec viris ſolùm id fuit propoſiti, ſed & Reginæ Semiramidi: viſo namque, Ecbatana Me-

diæ regiam, aquarum laborare penuriâ, rupe tribus altâ milliaribus excauatâ, fluminis vicini aquam, quinque & quadraginta altam pedibus,per latiſſimã foſſam in vrbem deriuauit.

Romanos ſi intueri velimus,ea illos in aquęductibus feciſſe comperiemus,quæ fidem apud poſteros vix inueniant.

Sic Claudius Imp. duos aquæductus,à Caio Caligula inchoatos,perfecit; quorum primum partim actis cuniculis ſubtus, partim per terram,ad quatuordecim paſſuum millia; alterum verò ad duodeſexaginta, etiam ſub & ſupra terram conduxit.

Sic M.Titius aquã Martiam per montes cõduxit;adeò vt ſub terra ad quatuor & quinquaginta, ſuper terrã fornicatos per tubos ad ſeptẽ paſſuum millia,& ſub montibus ad bina flueret.

L.Flaccus, quod Curius antè cœperat, per continuum ferè ſaxum aquam ad duo & quadraginta milliaria in vrbem deriuauit.

Nec inſolens hoc aut mirũ cuiquã videbitur;nam quæ de Sinarũ aquæductibus hiſtoriæ produnt,fidem propè ſuperant. Etenim vix vlla apud eos ciuitas, ad quã non aut natura, aut hominũ induſtria flumen deduxerit, partim in negotiorũ facilitatem,mercium traductionem, partim in regni robur ac tutelam, partim in incolarũ habitationem; cùm plures in nauibus & aqua,quàm in opidis & terra commorentur.

Quid autem canales & aquæductus nostros, remotarum regionum, & priscorum Regum exemplo necesse me est confirmare, cùm nostro in Belgio præstantissima, priscis Romanis præeuntibus, rei huius exempla habeamus. Hi enim Domitio Corbulone legato, iā inde Lugduno Batauorum per Delfos, & agrum Mosæ conterminum, iuxta pagum *Sluys* nomine, in Mosam vsque, fossam latissimam & capacissimam duxere. Inde verò Batavi sub Claudio Ciuili, iam inde à Durostadio haud procul Vltraiecto, per Culenburgum, Vianam & Schoonhouiam in idem flumen Mosam, iuxta pagum *Krimpen*, aliam, cui Lecka dein nomen impositum: vt Rhenus, cuius olim Durostadio Vltraiectum cursus erat, illo propè deserto, per hunc aquæ ductum totus fluxerit. quod Ciuilis opus & longitudine, & amplitudine, illud Corbulonis duplo ferè excedit.

Druso verò Germanico Rom. copias illis in locis ducēte, alium in pago *Iseloirt* prope Arnhemium, Doesburgū vsque, aquęductū effossum legimus, vt commoda è Rheno, per Doesburgum, Zutphaniam, Dauentriam, Campos, in Frisiam per Isalam transire volentibus esset nauigatio. Sunt, qui & Isalam quantus est modò, Romanorum olim manibus effossum putant; atque adeò potissimam amnium, à quibus Batauus ager vndiquaque, ceu corpus venis inter-

terſecatur, vti & Tranſiſalanorum, & Gelrenſium etiam quamdam, & Friſiorum penè omnem,partem,non à natura,ſed hominũ eſſe induſtriâ paratam. Et ſanè,ſi Bruxellenſes ſuo ipſorũ ære & impendio octo leucarum aquæ ductum, etiam montoſo & confragoſo in ſolo & auſpicari & perficere; & Flandri ſoli quatuor florenorum milliones, quò noua Gãdauo Brugas vſq; foſſa pararetur, quæ appulſas oceano merces aliò conduceret, expendere non dubitarint;vniuerſa cũ vicinis prouincijs Brabantia aggredi verebitur id,à quo ſempiterna nõ Brabantiæ ſolius,ſed & vniuerſi Belgij Regij, ſalus & incolumitas dependet?

Carolus cognomento Magnus Rom. Imperator, niſi cõtinua ad multos dies pluuia obſtaculo fuiſſet,Danubium Rheno iunxiſſet; quod certè torrida æſtate factu non admodum arduum eſt;vti & Viſurgin per Luppiam in Rhenũ conducere. Incredibili certè id Germaniæ totius, & Belgij maximè, fieret cũ emolumento; commercia cũ vicinis prouincijs adaugeret, &,ob facilem operũ Belgicorum in exteras regiones diſtractionẽ,externorumque eôdem inuectionem,opes Belgicas nimium quantum adaugeret.

Quin & noſtræ ætatis Batauos intuere, qui incredibili propè auſu Zipẽſem lacũ exſiccare aggreſſi, eum tandẽ arabilẽ fecerunt,nouo ad-

uersus omnem maris impetum obiecto aggere, quem deinde aquarũ eluuione,& vi tempestatis perfractũ,rursus de nouo instaurarũt:& hac ratione vndena iugerum millia, aquis antè innatantia,sementi admittendæ adaptarunt, dum

Spicigeræ sua regna, feris Neptunus in vndis
Horrendùm stridens, Cereri concedere

est compulsus. Idipsum dein & in freto *Beemster* nuncupato tentarũt:quod pari modo,laborioso quodam aggere,etiã post eluuionem restaurato,à reliquo mari sequestrãtes,nouena propè iugerũ millia continenti annexuerũt,cùm priùs vniuersam qua patet freti aquã, plurimarũ antè nauium campũ, artificiosis quibusdã instrumentis & antlijs ingenti molimine eduxissent. In quæ opera quantum auri impensum, tecum consideres velim. Ergóne Regi, eiusque fidelibus vasallis ad paria tentanda minus aut animi erit aut potentiæ?

XX. Vigesimò, cõmunis est Regiæ prosperitatis amantiũ sententia, ad inimici potentiam prorsus eneruandam, & insolentem eius animũ deijciendum, nihil esse cõpendiosius, quàm si suas in hostilem agrum Rex copias educat: partim, vt Regiarum prouinciarum incolæ ab incommodis & damnis, quæ militaris turba secum trahere solet, immunes agant; partim, vt hostis belli incommoda suis etiam in visceribus sentiat; quòd alia illius edomãdi ratio non appareat,

pareat. Quàm commodissimè autē id fieri poterit, si cis & trans Isalã flumē duæ validissimæ, rebusque omnibus necessarijs, vt cōmeatu militari, annonâ, armis, milite, instructissimæ condantur arces: quas ambas pōs naualis nectat ac combinet. Brefordia quidem huic commeatus aduectioni satis incommodare & nocere poterit: at, cùm opidi huius ciues nonnisi vnum per aggerem exire & redire possint, duabus arcibus vtcumque paruis in vicinia erectis, hoc tolli incommodum commodè satis potest.

Vigesimoprimò, sæpiùs ex ipsismet Belgis, locorū omnium & adituum peritissimis, etiam in Hollandia & Zelandia natis, audiui, satius lōgè fore, vt, cùm vicinorū Regum ac Principum potentiâ, armis, pecuniâ rebelles ita iuuabūtur, vt, humanitus loquendo, eos subiugare videatur impossibile; tūc suis eos aquis Rex faciat innatare, omnes eorū agros, prata, campos, animalia perfossis aggeribus immergendo, itaq; omnem internam & domi natam potentiam eis eripiēdo. quod, aggeribus varijs perfossis, factu haud difficile. itaque plusquam duæ tertiæ Hollãdiæ ac Zelandiæ partes aquis inundarent, & ad annos plurimos satui inutiles manerent, vndarum præda. Quod ducentis trecentisúe aureorum millibus effusis, qui rei huius executoribus addicerētur, haud ęgrè fieri posse opinabantur. XXI.

Et sanè, multò mihi videtur satius, Hollan-

diam ac Zelandiam ſub aquis merſam natare, quàm ſuos Regem theſauros, non ſine notabili Indiarum ſuarum ſi non amiſſione, ſaltem exhauſtione,& ſempiterna cum Hiſpaniæ inquiete, quæ ſuo præterea robore, tot generoſis ſubmiſſis militibus,identidem exhauritur, & non ſine grauiorum periculorum,& maioris aliquot poſt annos iacturæ metu, incaſſum in eam recuperandam profundere. Si pari Hiſpania facilitate ab Hollandis obrui aquis poſſet,ad triduum non exſpectarent.

PELAG.Incredibili hæc animi mei cum gaudio ex te audiui : hinc viginti aureorũ millia æquè cara non habeo,atque hanc tecũ de Belgicis rebus à tanto tẽpore mihi expetitam agendi oportunitatẽ.Vnde etiam æternùm me tibi deuinctum , & perpetuũ clientem fore ſpondeo. Sed vnum eſt, quod perſæpè me torquet.Eſto namque ex ijs quas attuliſti rationibus,ſole meridiano clariùs videam,Regem Belgicæ ſuæ rebelli iugũ tandem poſſe imponere ; aliquis tamẽ mihi ſupereſt ſcrupulus, in quo animo ipſe meo neutiquã poſſum ſatisfacere, aut,quo minùs dubitet,impedire. Quomodo nimirum, ſi Galliæ,Angliæ,Daniæ,Sueciæ Reges,ipſis Germaniæ Principibus etiam ſuppetias ferentibus, quò Hollandos contra Hiſpanorũ potentiam tuerentur, apertè rupto fœdere, vim omnẽ armorum aduerſus Regem noſtrũ conuerterent;

ſolus ipſe tot potentium Regum impetum excipere, & ſuas à tanta violentia prouincias ac regna tueri valeret?

Bonavent. Quoad Angliam, nemo id mihi facilè perſuaſerit: norunt ſiquidem Angli, Hiberniam commodiſſimum eſſe locum, quem nullo cum labore, & paruo impendio Hiſpanus queat occupare; vt quâ nulla in Europa prouincia commodiores tutioremque nauibus ſtationẽ præbentes portus habeat. Quos ſi Rex noſter inuadat, quem Angliæ ſtatum futurum putas, hoſte tam vicino, & Anglicana littora quotidie infeſtante? Ipſa adhæc Anglia vndiq; & aperta, & acceſſibilis eſt, vix vt vllum munitum ſit opidum, quod accedentem hoſtem arceat. Scotia quoque non minùs patet quàm Anglia, & nulla penè quæ hoſtili incurſioni reſiſtant, habet loca. Denique modum non video, quo neceſſariam bello alendo, aut nouæ ſemper claſſi comparandæ, Anglus pecuniam colligat vel inueniat.

De Gallia, multò id minùs timere poſſum. licet enim Galli exteriùs ſæpè parum prudentiæ præſeferant; ſuis tamen in conſilijs ac propoſitis prudẽtes, maturi, cordati, viriles, & prouidi ſunt: cumq; iam inſtat præ foribus periculum, non raro eos prudentiores videas, quàm alios permultos, qui magnum prudentiæ ſpecimen nonniſi exteriùs oſtentant.

Cur autem Gallus apertum, pace diſruptâ, Regi noſtro bellum minimè ſit inducturus, his rationibus adducor vt credam. Prima, quòd arctiſſima & duplex inter eum & Regem noſtrum intercedat affinitas: quamquã non ignorem, vix vllum apud Reges ſanguinis ſenſum reperiri, cùm illis regni ſui ſalus, bonum, incolumitas, affinis, ſororius, frater, imò pater & mater ſit. Vt quoddam Regem inter ac regnum, initum matrimonium dicas, cuius ille causâ ſorores, fratres, patrem iuxtà ac matrem relinquat & obliuiſcatur.

Secunda, maior Gallorum Regis mihi videtur pietas ac religio, quàm vt cũ fidei Catholicæ hoſtibus, aduerſus ſororium ſuum conſpiret. IVSTI adhæc is paſſim cognomento dicitur; neutiquam proinde mihi in mentem venire poteſt, vt is apertam & ſole meridiano clariorem Hollandorum iniquitatẽ & iniuſtitiam tueatur, & Chriſtianis armis ſuis eos, aduerſus naturalem, legitimum & natiuum Principem ſuum rebellantes protegat. Nam quemadmodum is meritò ſuccenſeret, ſi Rex noſter ſuis rebellantes illi Rupellanos armis foueret, impiamque illorum cauſam tueretur & firmaret; ita & noſter iniuriam ſibi fieri queri iure poſſe videretur, ſi ſuis Francorum Rex armis contumaces & proteruos Batauos Regi ſuo rebelles protegeret, & iniquam illorum cauſam faceret

ret ſuam. Quod enim quis dicat, non ideo Gallum Batauis Hiſpani iugū detrectantibus & rebellibus, Chriſtiana ſua ſubſidia mittere, vt illorū rebellionem foueat, cauſam iniquā tueatur, minùs etiam vt religionem adulterinam promoueat; ſed vt Hiſpanorum arma à regni ſui finibus auertat: id & Hiſpanus hîc poterit dicere, non ideo ſe Rupellanos Regi ſuo rebellantes iuuare velle, vt ipſorum rebellionē foueat; nec ſuppetias dare, vt aduerſus legitimū dominum inſurgant, regno eius vaſtationē inferant, ac perfidæ religionis ſuæ terminos longiùs extendant; ſed dumtaxat, vt Gallorum à regnis ſuis potentiam amoliatur. quam non eſt quòd timeat, quamdiu illi Rupellenſibus edomandis & compeſcendis diſtinebuntur. Et hanc, vnicam rationem videri, quæ Regem noſtrum ad illos iuuandos poſſet inducere. At quis hanc in illo probet aut dilaudet? Idem ergo de Gallorum ſuppetijs & armis, quibus Batauorum rem fulciant, dicendum eſt.

Video adhæc, Gallum Valle Tellina recuperanda, & Sabaudo Duce aduerſus Genuenſium Remp. fouendo diſtineri; adeò vt, ſi ſe Regis noſtri hoſtem palàm declarare vellet, tertium conflare exercitum, (quod ſine ingenti pecuniarum vi fieri nequit) cogeretur.

Demus verò, eum ſeſe Hiſpano hoſtem declaraſſe. vbinā tunc prima hoſtilitatis ſuæ argu-

menta edet?In Belgas armorũ vim conuertet? ijs certè haud difficile erit,vim vi repellere. non tunc & Aragonij & Catalauni quinq; ac viginti armatorum millia,ære ſuo collecta, paruo in Galliam negotio poterunt emittere?non Poloni & Croatæ,tali datâ occaſione,viginti equitũ immiſſis millibus vniuerſam quà patet Franciã vaſtare & depeculari?In Hiſpaniam potentiam & belli molem conuertet ? non regnum eius, Germaniã & Belgium verſus, vndiquaque patet,& incurſionibus obnoxium eſt? In Germaniam ergo copias educet?Hiſpani & Belgæ nullo non tempore in conterminam ſibi Galliam poſſunt irruere.Et hæc illum videre non putas? adeóne fungum & fatuum eum exiſtimas,vt ab Hollandis quocumque, velut naſo comprehẽſum, ſe abduci paſſurus ſit; aut vt, quò vnius Buckingamij concepto in nos odio & maleuolentiæ velificetur, ſexcentis regnũ & omnes ſuos periculis exponere pro nihilo ducat?

Taceo præterea, quoad Rupellanos illum, vtcumque decies fidelitatẽ ei ſcripto iuraſſent, nullatenus poſſe eſſe ſecurum. viſo namque, militem Regium bello externo diſtineri,facilè, quæſito in ſpeciem colore & occaſione, munitiora quædam regni opida inuadent. quod ille certè nequit ignorare , vt qui ex hiſtorijs, & maiorum ſuorum geſtis, Caluiniſtarum genium & indolem ſatis perſpectum habere poteſt;

teſt;

test; non aliter pacem petentium, & quietem amantium, quàm dum res ipsorum domi afflictæ & propè desperatæ sunt: illam verò violantium, dum lætior alicunde affulget sors, & meliorem rerum euentum sperant; cùm probè gnari sint, in turbida aqua tutiorem esse piscatum. Ita porro me harum rationum pondera ac libramenta suas in partes pertrahunt, nemo vt facilè mihi persuasurus sit, Gallum initam cum Hispano pacem violaturum; nisi, ad peccata aut nostra, aut Gallorum, aut vtrorumq; castiganda, tale quid fieri Deus permitteret. quod de clementissimo illo Patre nos nefas est credere, vtpote qui regna illa & Regem vtrumque, perinde ac filios carissimos, tueri solet ac protegere (ringentibus licet ac frendentibus vtriusque aduersarijs) & semper, vti confido, conseruabit atque defendet.

Neque etiam à meipso possum impetrare vt credam, Gallum cum Anglo, coniunctis pariter viribus, Hispanos adoriturum. Norunt quippe Galli, è re sua non esse, Anglum potentiâ crescere: vt qui priscas Anglorum in Galliã prætensiones & iura non ignorant, & quid ab ijs hæc olim passa sit etiamnum cum dolore recordantur. recens enim illorũ adhuc memoria est, & Regia vrbs Parisij, ac potissima regni portio, exercitæ sæuitiæ locupletissimus est testis. Sed demus id ita fieri, & Gallum societate

tate armorum cum Anglo initâ,non modicam Hiſpaniæ partem occupaſſe; quid tũc Gallo,ab Anglo iã potentiore,& latiùs imperante, aliud exſpectandũ,quàm vt hic, fortunâ lætiore iam arridente,& à Gallicanis Caluiniſtis,ſuis in Euangelio fratribus,ſuffultus & adiutus,priſca iura armis repetat, vti à maioribus illius olim factitatũ non ſemel,vt qui etiamnum,in priſtinæ prætenſionis & ſpei ſuæ ſignum,Francorum ſe Regem appellare non dubitat,& maiorum exemplo,Gallicana lilia ſuis iũgit leonibus, & velut deuoranda obijcit, aut ſuaui illorum odore ad eadem inuadenda allectat ? vt maiorem Gallia ſibi ab Anglorum potentia & magnitudine,quàm Hiſpanorum,metuendi cauſam habeat. Ac proinde,non priùs Galliam tutã ac ſecuram eſſe poſſe arbitror, quàm Anglo ad anguſtias redacto, exhauſto , & ad priſtina iura per bellum repetẽda impotente; cùm, quotieſcumque ei libuerit, optimã ad ipſa bello & armis alleganda occaſionem habeat.Sapientiores ergo duco Gallos, eoſq́ue præterita, & futura contingentia ac poſſibilia prudentiùs excuſſuros, ac in rebus ſuis fore arbitror circũſpectiores, quàm vt, præcipiti in Hiſpanum odio acti, hereditario & nato hoſti ſuo Anglo arma velut in manus tradant,ad priſtinam Britanniã ſuam denuo inuadendam, indeq́ue tum ſua,tum reformatorũ Hugonottarum arma vlteriùs proferen-

ferēda; venientibus præſertim in partē Batauis, qui ad fratribus ſuis in Chriſto, eiuſdem ſecum fidei, auxiliandum, & cauſam eorum tuendam, magis ſe putant obligari, quàm Chriſtianiſſimo Gallorum Regi, cuius, ob eam quam profitetur & tuetur religionem, iuratiſſimi ſunt hoſtes.

Veriſimile quoque mihi fit, Gallū, ab enormi illo pecuniario Batauis ſubmitti quotannis ſolito ſubſidio tandem aliquando velut defatigatum ceſſaturum: cùm è Regiarum rationum libris liquidò conſtet, iā inde à tumultuū Belgicorū initio in præſentem vſque diem ſupra centum & duodenos argenti milliones à Gallorum Regibus, idque ſine vlla vel oboli refundendi ſpe, rebellibus Batauis eſſe ad belli impēſam tolerandā ſuppeditatos; ingenti certè Galliæ totius cum grauamine, & Francorū oppreſſione. vt nihil interim dicā de immenſa illa auri vi Regi Daniæ, Expalatino Frederico, ſpurio Mansfeldio ſubmiſſa, & alia in expeditionem Val-tellinenſem & Sabaudi aduerſus Genuenſes inſumpta. Efficio proinde, nouas Gallū nouis exercitibus inſtruendis impenſas minimè facturū, ne irreparabilem vniuerſo regno perniciē adferat, nouiſque id oneribus ita exhauriat, vt exinde reſpirare nequeat; cùm quos in Tranſalpina, Val-tellinenſi & Genuēſi expeditione, ſine vllo prorſus emolumento, vniuerſa Gallia ſumptus ſubijt, etiamnū ſentiat; vti & il-

los

los, quos ſuſceptũ in Rupellanos & Hugonot-tas reliquos bellum florentiſſimo regno peperit: vnde factũ vt annui Regis prouentus nimiũ quantũ in annos plurimos ſint oppignerati. Vnde cenſet nonnemo, in poſtremas illas expeditiones, eum ſupra centũ, alij centũ & quinquagenos, alij deniq; ſupra ducentos milliones impendiſſe: vt taceã, ſexaginta Gallorũ millia, anno non plus vno, varijs in exercitibus, & in illis Gallicæ nobilitatis florẽ, occubuiſſe. vt Theologus ſine paſſione libelli nuperi auctor, dicere non vereatur, nuperis hiſce paucorũ annorum expeditionibus plures Galliam Principes, proceres, duces, generoſos milites amiſiſſe, quàm olim ſub S. Ludouico duæ illæ in Palæſtinam, infeliciter ſuſceptæ expeditiones abſumpſerint.

Denique videbis Gallos ſuis in conceptibus maiorẽ re iam agi cœptâ prudentiam oſtendere, quã initio præ ſe ferebant; adeò vt effectus & finis rei longè ſint alia, quã ea prima ſpecies fore prodebat. Norunt quippe, Deo dante, fieri poſſe, vt ad Regẽ ſuũ Hiſpanienſe ſceptrum deuoluatur; imò faciliùs, quàm ad Borbonios deuolutũ eſt Gallicanum, cùm iam quatuorde ſtirpe Valeſia fratres Regij ſupereſſent; etiã faciliùs, quàm FERDINANDVS ad Imperiũ Romanũ peruenit, cùm ſex MAXIMILIANO Imp. eſſet filij, quorũ etiam quinque ſatis prouectæ & maturæ ætatis fuere. Quis vmquã crediſiſſet fore,

vt Luſitanicũ ſceptrum & regnum ad Hiſpanos deuolueretur? Mirabilia ſanè sũt opera Domini, & incertiſſimæ mundi huius reuolutiones & viciſſitudines. Vide quàm arcana & admirabili rerũ deuolutione, Auſtriaca nobilitas Burgundicæ potẽtiæ, & deinde Hiſpanicæ, & omnibus quæ hæc poſſidet, coronæ annexa & aſſociata fuerit. Cui vmquã, iſtuc aliquando fore, in mentẽ veniſſet? Vt verò ad Regem noſtrum Galliæ ſceptrũ hereditario iure futuris temporibus aliquando deuoluatur, incaſſum ſperamus; quòd priſcis Gallorum legibus & inſtitutis à Francici regni gubernaculis mulieres arceantur. At Galliũ ad Hiſpanienſe diadema, tamquam proximũ heredem, euehi, & factu facillimum eſt, & fieri poteſt, cùm feminis apud Hiſpanos ad regnum ius ſit. His ego rationibus inducor vt credam, Gallos aperto in Hiſpanos odio numquam graſſaturos, aut bello vexaturos.

Quod ad Sueciæ & Daniæ Reges attinet; nõ ea mihi modò videntur eſſe tempora, vt exerere cornua, vel mouere lacertos audeant, victricibus Imperatoris armis longè lateq́; terrorem per Germaniã incutientibus. Etenim adeò ſe hi bello implectere & intricare poſſent, vt ne ad propria quidẽ tuenda ac retinenda, ſat virium haberent. & ambo maiore hactenus damno & probro, quàm honore, tum in Imperatorem, tum in Polonorum Regem arma mouerunt,

nul-

nullas vt Hiſpanici nominis hoſtibus ſuppetias foras poſſint mittere.

Alij verò Germaniæ Principes ideo res nouas moliri, aut conceptum animo odium proferre non audebunt, quòd nouis indies Imperatorẽ victorijs cælitus donari vident; vnde ceu frænis ac vinculis quibuſdam eorum impetus erumpere ſubinde geſtiens, coërcetur & retinetur. Et ſanè, ita domeſtico ac defenſiuo (vti mihi quidem videtur) bello tunc implicabuntur, vt apud exteros id quærere eos minimè oporteat; & ipſa foris belligerandi haud dubiè prurigo illis decreſcet, cùm inexſpectata aliorum arma domi experientur. Vt omnes has minas, volaticarum & inanium nubecularum, plus minarum, quàm aquæ afferentium, & præter terriculamenta aliud non incutientium, ad inſtar habeam.

Demus verò, omnes hoſce Reges ac Principes, coniunctis viribus, ac ſocietate armorum initâ, tripartito exercitu, tribus Hiſpanici iuris prouincias locis inuadere. ea ſanè Regis noſtri eſt potentia, vt, ſine vllo ærarij ſui detrimento, triplici item exercitu, quorum vnuſquiſque quinquagenis armatorum conſtet millibus, illorum excipere impetum, & occurrere copijs poſſet (quemadmodum art. XII. videre eſt.) quin & alias, præter has, ſuo copias ære conſcribere, quas in aliquam hoſtilium prouinciarum

rum poſſet educere. Adeò vt nullam, hominum more loquendo, vllius arma metuendi occaſionem habeat; quòd ita illius Deus ter maximus potentiam conſtabilierit, & talem regno ſitum dederit, nullam vt exterorum Regum eum timere potentiam vel arma oporteat.

Pelag. Pluſquam ſatis eſt, hunc mihi ſcrupulum abſtuliſti, rationumque tuarum fulgor ſpiſſiores omnes dubitationum mearum nebulas diſcuſſit. Sed eſt aliud, quod mirè me torquet, & ſolicitum habet; ideoq; vt à te mihi hîc fiat ſatis, expectabo. Dicitur inimicus omnes pagos & domos rurales, ad quos ei patet acceſſio, igne velle abſumere & deuaſtare, vt hac ratione nullus ab agreſti turba ad Regia opida commeatus deferatur, & ſic illa præ annonariæ rei penuria ad ſibi parendum compellantur; eadem quoque ratione copiis noſtris militaribus officiat, victum iis omnem præcludendo. Hinc ſequetur, vt ſeſe atque agros ſuos à noſtrorum excurſionibus tutos, & ab armis immunes reddat; viam quoq; nobis præcidat, ne quod ei parentium opidorum inuadamus.

Bonavent. Quantum ad domorum ruralium deflagrationem & vaſtationem ſpectat, quid dicam neſcio; niſi, quemadmodum Aduocati Hollandici mortem, quæ nullo ei ſtetit impendio, ſexcentis facilè aureorum millibus Rex noſter, vtpote ſibi compendioſiſſimam,

redimere debuiſſet; ita iſthanc ædium deflagrationem plus auri millione illum æquè poſſe redimere. Idque variis de cauſis.

Prima. Non alias ex eis, quæ Regio parent imperio, vaſtare prouincias hoſtis poteſt, quàm aliquam Brabantiæ, Gelriæ, Tranſmoſanæ partem, & agros Tranſiſalaniæ proximos. Flandria quippe, tum electiuo ſuo milite, tum erectis hinc inde propugnaculis, haud ægrè ſe ab hoſtili tueri poterit incendio. Nam tametſi hoſtis ex agro Flandrico Sluſis vicino, quotannis vltra centum & ſexaginta florenorum millia pagatim per modum contributionis iam colligat, præter omnem illam pecuniam quam Caſandia inſula annuè ei parit; variis tamen hinc inde erectis arcibus ita is concludi & coërceri poſſet, nullam vt vllo è pago ſperare pecuniam poſſit. Hinc duplex conſequemur emolumentũ: primum, quòd hunc hoſti prouentum eripiemus; alterum, quòd vice verſa hanc auri penſionem nouarum arcium erectioni, earumque ſtipendiis, ſi non omnibus, ſaltem potiſſimæ earum parti, impendemus.

Secunda. Non pauciores inimicorum pagos, tam hieme quàm æſtate, incendio & flammis noſtri poſſunt tradere. Vniuerſa namque Friſia per æſtatem aperta eſt. vnâ proinde excurſione omnes eiuſdem pagos incendio delere poſſumus. Non modica quoque Gelriæ

quam

quam ipſe poſſidet, pars nullo non tempore in noſtra eſt manu, vti & vniuerſa Tranſiſalana ditio. Brumali tempore, aquiſque conglaciatis, Moſæ proximum, nec non Betuwenſem, agrum igne quin vaſtemus, nemo inhibere poteſt.

Tertia. Credo equidem, tantum interdum hominum in hominem eſſe odium, adeoque implacabile & mortale, vt, dummodo inimico malè ſit, oculum ſibi vnum erui paterentur; ſed vt adeò quis demens ſit, & odio ardeat, vtroque vt orbari lumine gaudeat, quò vno priuetur inimicus, inauditum & inuiſum eſt hactenus. E pagis, quos igne delere Batauí valent, decuplo plus tributorum in menſes ſingulos percipiunt, quàm cùm ex his, tum è Batauicis, Regis noſtri ærario accedat. Et quis, hiſce eos prouentibus ſuopte nutu & libenter carituros credat? etenim è ſolis pagis Brabanticis, tributi & taxationis nomine, ſupra duodecies centena florenorum millia præſente pecunia annis ſingulis percipiunt. Et hæc eos cum cineribus & fauilla commutaturos, credimus? adeò inſanire ſolennia, & vſque eò ſtultos illos eſſe minimè opinor.

Vt autem Brabantica, Gelrenſia, & alia oppida, hoſti propiora, commeatu & rebus neceſſariis deſtituantur, non eſt quòd timeamus: Flandria namque, Leodicenſis, Namurcenſis,

Iuliacensis, Cliuius ager, Westphalia, & Germania nimis quàm abundè illis alimenta sufficere queunt, vt à fame minimè nobis timendum sit. Et sanè, si hanc hostis inire viam incipiat, trans Isalam sibi miles noster, necessitate pressus, violenter commeatum quæret. nulla enim fami via est inuia.

Quarta. Non eam existimo hosti feritatem & immanitatem fore, vt tam atrociter in innocuos & paruulos sæuire, & Regi pariter, ad eamdem necessariò exercendam, occasionem dare cuperet. Hac quippe ratione, æternum & implacabile omnium agricolarũ & ruralium, in caput suum, odium arcesseret; quos modò in omnibus rebus necessariis sibi nimis quàm fauentes & beneuolos experitur.

Et sanè, nî vnica hæc ratio contrà faciendum suaderet, iam dudum omnem pagatim & vicatim indictam ab hoste nostratibus contributionem & censum Rex noster interdixisset, & sub capitis pœna inhibuisset. Sed noluit & plusquàm barbarum duxit, innocuos & insontes penitus destruere, perdere, omnibusque bonis & facultatibus, quò hostibus hac ratione officiat, dispoliare. Sed si hostis vel lucernulam accendat, verendum est, ne integras Rex faces accensurus sit, quas hactenus, tamquam pater in benignitatem quàm flagella pronior, in filios suos rebelles exerere distulit. Et sanè nihil

hil ei accidere poſſet optatius, nihil videret libentius, quàm vt primam tragœdiæ huius ſcenam Bataui agerent, cuius ipſe, ſine cuiuſquam admiratione & reprehenſione, at maiori hoſtium cum damno ac maleficio quàm fortaſſe exiſtimēt, cataſtrophen poſſet agere & epilogū.

Si præter hæc nouus ille aquæductus Rinberka per Gelrenſe opidū Venlonam, & alius Antuerpiâ per Herendaliam Ruremondam, aut Antuerpiâ per Bredam & Buſcumducis Venlonam deduceretur; certè Brabantiâ & Gelriâ propè totâ, nulla vt ab illo iis noxa timenda eſſet, hoſtis excluderetur. Demus Regem ſummum maleficij genus moliri ſtatuiſſe; an non, cùm vellet, decuplo ampliùs Batauis per aggerum Batauicorum & Zelandicorum perfoſſionem, nocere poſſet, quàm illi Regio Belgio per ignes? magnam illi, fateor, locorum incenſione inferre noxam poſſunt; nos igne ſimul & aqua vicecuplo maiorem. Itaque veriti, ne maius ſubire damnum, & ſuummet ipſi exſtinguere incendium cogantur, ſuas domi faces continebunt.

PELAG. Bene quidem tu hæc hactenus; at diſcere ex te peruelim, vndenam quadraginta illæ militis Regij toto belli huius tempore ſeditiones ortum habuerint; quæ, quemadmodum non ſemel à me intellectum, potiſſimùm in cauſa fuere, cur tam diu ipſum ſenſerimus.

Per has factum, vt Regi præclarissima, quam vniuersæ prouinciæ subigendæ habuit, occasio sæpiùs è manibus effugerit; atque inimicus tam sui suorumque communiendorum ac tuendorum, quàm potissimæ eorum quæ iam possidet portionis obtinendæ tempus ac modum nactus sit. nostris enim inter se digladiantibus, ac sese mutuo conficientibus, & hosti resistere non valentibus, (quòd vtrimque, tam domi, quàm foris, impeterentur) temporis ipse turbidi oportunitate sibi vtendum ratus, egregiè rem egit. Neque enim, vt verum fatear, possum intelligere, quænam tam frequentium in milite nostro seditionum ac rebellionum fuerit causa; cùm tantum Rex annuè argenti bello gerendo submiserit, vt supra sexaginta armatorum millia eo ali & sustentari haud ægrè potuerint. Cùm certum sit, non aliam vt plurimùm seditionum esse originem, quàm menstruorum stipendiorum defectum: qui locum in Belgio habere quî potuerit, nequaquam intelligo; cùm pecuniæ, si militum, in quos expendendæ eæ erant, numerum supputemus, non modò non defuerint, sed etiam plusquam sufficientes semper missæ fuerint.

Inimicus, esto non pauciores quàm Rex milites in aciem quotidie educat, tamen notabilem nullam suorum seditionem vidit; cùm tamen tanta pecuniarum ei non sit abundantia, quanta

quanta Regi; &, præter menſtrua hæc ſtipendia, plures eum quàm Rex, in opidorum atque arcium ſuarum reſtauratione & munitionem impendere pecunias oportuerit: quæ etiam duplo pluris ei ſtat quàm Regi, vti negare non poterit, quiſquis arcium & propugnaculorum illius copiam nouit & intuetur. Adeò vt, etiam induciarum tempore, annua propugnaculorũ & vrbium nobis vicinarum inſtauratio ſupra centum florenorum millia abſumpſerit.

BONAVENT. Meritò hoc te dubiũ & ſuſpenſum tenet: in hac enim pecuniæ & ſeditionum materia, abditiſſima & obſcuriſſima quædam myſteria, quæ peraccurata opus habent interpretatione, conſiſtunt. quæ tametſi perobſcura atque intricata eſſe videantur, ea tamen quàm potero clariſſimè, tibi reuelabo. Conſtat ſanè, tantam Regem ſingulis propè annis in Belgium auri vim miſiſſe, quanta quinquaginta armatorum millibus ſtipẽdiandis nimis quàm ſufficeret; & non rarò tantam, vt etiam ſexaginta millia commodè eâ ali potuiſſent. Sed omnis illa vis ne mediæ, & ſubinde ne tertiæ quidem, oneris, quo exercitum ſuum Belgicum Rex onerarat, parti ferendæ ſuffecit. Etenim frequens illud ordinariorũ ſtipendiorum augmentum; plurimorũ illorum qui nec reipſa milites ſunt, nec pro Rege arma geſtãt, ſuſtentatio; ſumptuum tolerandorum ſubſidium,

(*ajudas de costa* vulgò dicuntur;) incredibilis ſcribarum & miniſtrorum à calamo multitudinis ſalaria; occultæ impenſæ (*gastos ſecretos* nominant;) emeriti & reformati caſtrẽſes Præfecti, quibus ſua nõ aliter & æquè plena, quàm ſi reipſa caſtrenſibus muneribus perfungerentur, ſtipendia adnumerantur; denique honorifica & regia in varios Regum & Principum exterorum Legatos munificentia; tantum auri abſumpſere, vt in hæc plus in annos ſingulos nummorum inſumi oportuerit, quàm in menſtrua pugnantium ſtipendia. Adeò vt hæc, & his ſimilia, quæ ad bellum propriè non ſpectant, vim auri maiorem deuorarint, quàm quinquagenûm millium exercitus; pluſque in hæc, quàm in omnem militem, ſit impenſum, &(ſi prout res eſt loqui velimus) mediam eius, quâ Belgica onera indigebant, pecuniæ partem Rex non ſubmiſerit.

Nihil hîc dico de incredibili fœnoris onere, quod Regem, quò à mercatoribus pecuniam, ſi quando eius, quam in menſes ſingulos bello alendo neceſſariam ſubmittere ſolebat, numerationem ad aliquot menſes differre cogebatur (quod certè ſatis fuit frequens) mutuo acciperet, ſubire oportebat. Vnde fiebat, vt multa Regiæ pecuniæ millia, in fœnerariam hanc voraginem coniecta, deperirent, ſine vllo alterius, quàm ſolius mutuo dantis mercatoris,

qui

qui mirè ſuam inde rem adaugebat, emolumento.

Hinc factum, vt non rarò, cùm præſentem neceſſitas pecuniam poſceret, nec ea ſuppeteret, neceſſe Regem fuerit duodeviginti, vigintiquatuor, imò & triginta, in centum, pro effuſa & ante addictum tempus ſoluta pecunia, perſoluere. quod fœnus è proximè ſubmittenda ex Hiſpaniis nummaria prouiſione detrahebatur. Vt ſæpè Itali, aut alij mercatores, qui exercitui de more pecuniam neceſſariam procurabant, tantum auri antè effudiſſent, quantum valebat noua pecuniaria prouiſio à Rege mittenda: adeò vt ſibimetipſis inde ſoluerent, & omne quod mittebatur aurum, ipſis tum ob pecuniariũ fœnus, tum ob effuſam pecuniam, cederet. Vnde cùm iterum propterea noua nummorũ eſſet penuria, & ærarium vacuum, nouam Regem oportebat iiſdem cum oneribus pecuniam ſibi procurare, duplex eius perſoluendo fœnus, primum in Hiſpania primis aſſignatoribus; alterum, pecuniæ præſentis & promptæ defectu, mercatoribus in Belgio habitantibus; qui, cùm iuxta Regiarum ſchedularum & pecuniarij contractus in Hiſpania initi tenorem, nonniſi quarto pòſt menſe, ſoluere tenerentur; non rarò primo menſe, aſſignationem in ipſos factam præueniendo, totum ſoluentes, id quod dixi fœnus ſibi appli-

cabant & præoccupabant: itaque in causa erant, vt tribus ipsis mensibus necessariâ exercitus pecuniâ destitueretur, & euidenti seditionum periculo res Regia exponeretur.

Satis hinc te videre existimo, ecquid in causa fuerit, vt omnibus hisce oneribus ferendis submissa à Rege pecunia impar fuerit; cur item ex ea militi exactè satisfieri non potuerit, penè omni pecuniâ in ea quæ priùs dixi impendia insumptâ. Vides præterea, ideo quinquagenis aut sexagenis militum millibus nullatenus ad plenum stipendia annumerari potuisse, quòd pecunia omnis aliis oneribus, quæ promissis stipendiis inferiora non erāt, ferendis obnoxia fuerit. Vt, tametsi quàm æquissima illius facta fuisset partitio ac distributio, militi ne quidem mensis vnius (cùm duorum, etiam trium ac quatuor subinde, mensium stipendia ei deberentur) potuisset persolui. Hæc ergo (vt vides) seditionum causa, quòd pauculo argento militibus multis accuratè & plenè satisfieri non posset. Quæ incommoda vt euitentur, varia tibi, præsertim artic. III. IV. VI. VII. IX. remedia proposui, quæ tibi ad plenum huius rei intellectum vsui esse poterunt.

Quòd autem nullas, aut sanè perpaucas, militum seditiones hostis habuerit, cùm addictū menstruè stipendium suis semper exactè adnumerare studuerit, non est quod mireris. Perinde

inde enim hîc ſe res habet, atque in ſplendidi cuiuſdam Principis, & alterius ciuis honeſti quidem, ſed non vſqueadeò locupletis, familia fieri videmus. In illa enim velut de ingenti & non numerato auri aceruo, in hac de prænumerato marſupio fit impenſa. Vix nouit Princeps, quid ſit impenſæ rationem reddere: at ciuis ille, iam tum ſub anni principium, ſubduxit & ſtatuit, non ſolùm quid menſtruè, verùm etiam hebdomadatim, expendere velit & valeat, tenues ſuos prouentus & lucellum identidem præ oculis habens, ne illos quotidiana excedat impenſa. Tenuitas, parcæ erogationis, & prouidæ diſtributionis, eſt mater; at liberalis donationis, & inconſideratæ impenſæ, abundantia. Inopia per ſe eſt parca, & ſapientiæ mater neceſſitas; copia econtrà munifica & larga eſt, atque ingens opum vis modum & moderationem neſcit, inque effuſione cæcutit magis, quàm videat. Oculos adaperit inopia, excæcat affluentia. Parit timorem ac diffidentiam indigentia; opes audaciam, ſecuritatem, inconſiderantiam, imprudentiam, & ſæpè noxiam fiduciam.

His adiungas oportet, ipſi ſtipendiorum erogationi Batauos ſemper & interfuiſſe & præfuiſſe, cùm Regiæ pecuniæ procul ab Hiſpania ſint erogatæ, & per tot picatas, atque plurimorum indigas manus pertranſierint, vt, ſi hanc

tan-

tangere chordam vellem, vix finem nostrum inueniret colloquium.

Huc accedit præterea, propter aquarũ, quæ nobis desunt, hosti verò mirè commodæ sunt, oportunitatem, factas in auehendis aduehendisque militibus, armis, annona, aliisque ad vrbium obsidia, liberationem, locorum & castrorum mutationem necessariis rebus, impensas, ei sæpè duabus tertiis minoris stetisse, quàm Regi huiusmodi impensæ steterint, aut stare possint. Nam vna quinquaginta tonnarum nauis (singulis tonnis quater mille quingẽta pondo assignando) plus vehit, quàm trecenti currus vel carrucæ castrenses: & huiusmodi nauis naulum nouenos in diem florenos non excedit, cùm quotidiana trium curruum aut carrorum impensa plusquam nouenis constitura sit.

Adinuenit insuper hostis nouam quamdam, at ingeniosam, menstruæ stipendiorum impensæ minuendæ rationem, dum vnicuique mensi quadraginta attribuit dies. hinc quatuor mensibus illius annus quoad stipendiorum impensas nostro minor est. quare tametsi parem Regi militum numerum & copias aleret, tres tertiæ pecuniæ partes apud eum in illorum stipendia sufficerent, cùm ad hæc quatuor Rex opus haberet. Vt interim de dicta aquarum oportunitate taceam: quâ quia caret Rex, hinc necessariæ illius impensæ, quas euitare nequit,

quit, ob aquæ defectum mirum in modum increſcant oportet.

Notandum præter hæc, vniuerſam tam numeroſorum exercituum, procul Hiſpania militantium, impenſarum molem, tot annis, ſuis Regem noſtrum humeris ſolum ſuſtinere debuiſſe; Batauorum econtrà oneri varios Europæ Reges, Principes ac Reſpublicas, militem & aurum eis ſubmittendo, humeros ſubieciſſe, & in laboris velut partem veniſſe. Atque hæc diuturni huiuſce belli potiſſima eſt cauſa. Scias namque oportet, non aduerſus ſolos Batauos, ſed omnes penè orbis Chriſtiani Reges, quin & Principes Proteſtantes, ſub nomine Bataui-co, ſexaginta propè annis, Regem noſtrum bellum geſſiſſe. Hæc vt ita ſe habeant, ſuos tamen ille, prout quidem mihi rerum ignaro & inexperto apparet, haud difficulter inimicos ſubiget, & præualebit; ſi viginti illos, quos antè tibi per modum conſulentis deprompſi articulos, opere ipſo exequi velit.

Pelag. Niſi, ne quam tibi crearem moleſtiam, vererer, intelligere ex te eſt animus, quo ſubiectas ſibi prouincias modo Bataui regant & adminiſtrent.

Bonavent. Curioſa ſanè quæſtio, at quæ intricatior & impeditior, quàm vt breui hoc tempore à me queat extricari vel expediri: vt tibi tamen morem geram, paucis, quantū mihi poſſi-

possibile erit, primarias politicæ eorum gubernationis partes attingam.

1. Quidquid ad publicum vnitarum prouinciarum bonum & incolumitatem spectat; vti sunt communis earumdem defensio, onerum imponendorum consensus, necessaria bello terra marique gerendo subsidia, ineunda cum vicinis aut longiùs dissitis Regibus, Principibus, Rebuspublicis societas & amicitia, & id genus alia, à Generalibus illarum Ordinibus proponi & constitui solent.

2. Ordinum nomine censentur ii, quos vnaquæque prouincia ex vniuerso Equitum, Nobilium, & tum prouinciæ, tum opidorum Rectorum corpore, ad eam dignitatem cooptat & eligit.

3. In suffragiis ferendis & deliberando non singulorum capitum & consultorum, sed prouinciarum, ratio habetur, vt, quotquot vnius prouinciæ Ordines sunt, nonnisi vnum habeant suffragium, esto plura numero sint capita, quàm alterius prouinciæ.

4. Illorum commissio non ad ea modò capita definienda se extendit ob quæ conuocati sunt; verùm & ad omnia extra ordinem & inexspectatò incidentia, prout ad prouinciæ tum suæ, tum omnium bonum expedire & necessarium esse iudicabunt.

5. Tot prouincias singulas ad generalem Ordi-

Ordinum conuentum fas est capita submittere, quot pro rei necessitate opus esse censebunt; quæ in eo non capitatim, sed prouincialiter sententiam dicunt.

6. Quothebdomadis ipsum præsidendi munus in orbem mutatur, vt modò hæc, modò alia prouincia præsideat.

7. Cuius sunt partes ea hebdomade præsidere, proponenda & deliberanda in medium profert, singulorum sententiam sciscitatur, & quam in partem plures inclinare conspicit, eò & ipse inclinare coactus, rem determinat.

8. Bellicæ expeditiones, earumque susceptio tum terra, tum mari, à summo belli duce dependent, & pro illius sententia suscipiuntur.

9. Concilium Ordinum à Generalibus prouinciarum Ordinibus constituitur, qui ei tam agenda, quàm cauenda, singulatim præscribunt: vt tamen hi interea plenā sibi potestatem retineant agendi quidquid ipsi Concilio faciendum cauendumue præscribunt, si communi patriæ bono ita expedire videant, vti & præscripta & instructiones suas immutandi, augendi, minuendi & explicandi.

10. In hoc Ordinum Concilium singulæ prouinciæ, vnum, duos, aut etiam plures, pro sua magnitudine, viros adlegunt & submittunt. In hoc consessu & suum Angliæ Rex nomine suo Consiliarium habet, prout inter il-

lum

lum & Batauos iam olim conuenit. De illius Cōcilij corpore quoq; ſunt Generalis Ordinū Theſaurarius,& Quæſtor,& Secretarij duo.

11. Generales belli, terra mariue gerendi, Præfecti, ab Ordinibus Generalibus, vti & Concilia in quibus rei maritimæ negotia diſceptantur (qualia in variis prouinciis & locis erecta ſunt) conſtituuntur.

12. Suas ſingulæ prouinciæ ſeruant leges, iura, priuilegia, conſuetudines, & ſuos ſingulæ, tam in ciuilibus & publicis, quàm criminalibus rebus, vti ſolebant, magiſtratus habent: & omnes eodem penè modo & forma in iudicando procedunt, cùm tam equites & nobiles, quàm ciuitates in magiſtratus cooptentur.

13. Ciuitates ſecundùm priuata & municipalia iura & priuilegia ſua adminiſtrantur.

14. Singulæ quoque Prætorem habent, quem Scultetum aut Baliuum vocant, qui ab Ordinibus conſtituitur.

15. In primariis ciuitatibus, ex eminentioribus & potentioribus ciuibus, quatuor & viginti, triginta, quadraginta, aut etiam quinquaginta, eliguntur viri, quos *Prudentes* vocant, qui vniuerſum ciuitatum ſuarum corpus repræſentant, & quorum dignitas & munus nonniſi cum vita exſpirat: apud hos grauiſſimæ quæque controuerſiæ, tam ad vniuerſum territorium, quàm ipſam ſuam ciuitatem, ſpe-

ctantes,

ctantes, agitantur, disceptantur & iudicantur.

16. Hi ciuitatum Prudentes & Senatores, duos, tres aut quatuor quotannis eligunt ciuitatis quique suæ Consules, septem aut plures Scabinos & Iuratos.

17. Consulum cura circa bonum ciuitatum regimen, & exactam legum & disciplinæ politicæ obseruationem potissimum versatur. Scabini iustitiam ciuilem tam in iure dicundo, quàm maleficiis castigandis curant: ciuium tamen crimina non aliter apud Scabinos excutiuntur, quàm præsentibus Consulibus.

18. Prudentes hi duos, aut etiam plures Quæstores, Ædiles curules, orphanoscopos constituunt: primi, ciuitatum prouentus, tributa, census curant; secundi earumdem fabricam & sarta tecta; postremi relictas pupillorum sub tutoribus opes.

19. Consules & Scabini quosdam creant æedituos, & orphanotrophiorum, xenodochiorum & gynæceorum curatores: quorum cura annua dumtaxat est.

20. Pagi rurales proprio suo iure administrantur. de aggeribus illic controuersiis præest Præfectus & Iudex priuatus; criminalibus & aliis maioris momenti causis, Baliui, Consules, & opificiorum mechanicorum tutores, qui commune regimen & opificiorum disciplinam curant. in ciuilibus autem cau-

ſis Scultetus iudicat cum Scabinis.

21. In criminalibus ab omnibus ciuitatum & pagorum iudicibus ſententia de plano pronuntiatur.

22. Equitum, Nobilium, & ciuitatum Hollandiæ & Weſtfriſiæ citatio & denominatio ab earumdem prouinciarum Aduocato peragitur: qui & in conuentibus omnia deliberanda proponit, ſententias ſingulorum exquirit, & pro ſuffragiorum pluralitate res definit.

23. Ordinum dictorum conuentus quinies aut ſexies per annum, & quoties aliqua requirit neceſſitas, indicitur.

24. Ordines hi, ex vniuerſo Nobilium & Rectorum ciuitatum corpore, ad ea quæ in conuentibus definita ſunt, executioni mandanda, nec non ad omnium incidentium rerum directionem, quoſdam velut Conſiliarios priuatim deligunt, ſacramento ſibi obſtrictos. Et hi omnium quæ agunt, Hollandiæ Ordinibus rationem dare tenentur, eaque ad eos referre.

25. Ordinariè, tam in ciuilibus quàm criminalibus cauſis, ad prouincialem Hollandiæ curiam, Præſide vno & nouem decemúe conſtantem Conſiliariis, appellatur.

26. Præter curiam illam prouincialem ſupremum quoddam iuſtitiæ adminiſtrandæ erectum Concilium eſt, quod Summum vocant:

cant: quod in omnibus causis ad suam cognitionem, tum per appellationem, tum per sententiæ à dicta Curia prouinciali, & aliis iudicibus latæ reformationem deuolutis, sententialiter pronuntiat. ab eo tamen vlterius causarum examen (quod reuisionem vulgò vocitant) licitum est exigere. quo in casu, ab ipsis Ordinibus, præter dicti Concilij Assessores, Iurisperiti aliquot constituuntur; qui causam iam iudicatam ex iisdem actis examinent, excutiant, declarent, num quæ lata est sententia reuocanda sit, nec ne. quâ declaratione factâ nulla vlterior conceditur appellatio.

27. Dominiorum & iurium patriorum administrationi quosdam præficiunt Consiliarios, Præfectos, & auritos rationum inspectores, præter ordinarios quæstores, & huic muneri præpositos administros.

28. Nouum quoque est, in Hollandia quidem, in gratiam vrbium, pagorum & inquilinorum, quos in Brabantia habent; in Zelandia verò, pro Flandriæ eius quæ sub Generalium confœderatarum prouinciarum Ordinum imperio est, incolis, Concilium institutum: in quo & Brabanticæ & Flandricæ causæ, Generalibus Ordinibus ita iubentibus & præsidentibus, disceptantur.

29. Instituta demum Lugduni Batauorum in omnibus facultatibus & artibus Vniuersi-

tas: Collegium item Theologicum, in quo triginta aut etiam quadraginta communi Generalium Ordinum impenſa adoleſcentes Theologiæ ipſorum operam nauant, cui ſuus eſt Rector, Vicarius & rei domeſticæ œconomus.

30. Quod ad militarem ſtipendiationem ſpectat, quò omnis ſeditionibus militaribus, quæ à malignè numerato ſtipendio conſequi ſolent, via præcludatur, quidam ſponte ad hoc muneris ſeſe offerentes, deliguntur. hi debita militi ſtipendia menſtruè ipſimet ſoluunt: quæ verò ad hoc neceſſaria eſt, pecuniam ſuo ipſi nomine colligunt fœnore quàm poſſunt minimo, quod in hebdomadaria aut menſtrua ſtipendij perſolutione militi adnumerant. quod, quia in tot capita partitum, vix à quoquam ſentitur. Hanc autem pecuniam qui effudere, eam poſtmodum ab Ordinibus refuſam ſuo tempore recipiunt: qui his pecuniæ curatoribus non rarò debent permulta, & hoc ipſo tempore etiam octo menſium ſtipendia, tam peditatui quàm equitatui vniuerſo abhinc octimeſtri ab illis perſoluta. Verùm quia hi tam de capitali ſumma, quàm fœnore certi ſunt, hinc integram ſemper apud mercatores effundentes fidem habent, nec vmquam pecunia ipſis defecit. Sociis tamen naualibus & nautis iam à quadraginta menſibus ne obolus (vt verum fatear) eſt numeratus: ſed vxores, &

proles,

proles, ac ſpecioſa Ordinum promiſſa, & opimæ ſpes prædæ in cauſa ſunt, cur rebellionem & ſeditioné hactenus concitare non audeant.

Pelag. Quam tute mihi hodie oſtendiſti beneuolentiam & amorem, nullo tibi poſſum auro, nullis opibus, rependere; quas etiam te nec velle, nec opus habere, mihi exploratum eſt. Nihilominus plus tibi debere me fateor, quàm aut lingua hæc eloqui, aut cor valeat comprehendere: ſimul quoque ita cunctis dubiis ac poſtulatis meis à te eſſe factum ſatis, nihil vt vltrà expetam vel optem. Vtinam verò, quorum aliquid ad hæc efficienda valet auctoritas, eorum executioni ſtudeant & incumbãt, & eam quâ pollent, prudentiam, auctoritatem, ac poteſtatem oſtendant; præſertim cùm totius reipubl. ſalus & incolumitas, tot millium animarum ab interitu vindicatio, vniuerſæ denique Hiſpanicæ monarchiæ quies id exigant, & quodammodo depoſcant. Eâdem tamen operâ noſſe è te velim, quid ad eas, quæ Vallis Tellinæ & Palatinatus occaſione, totâ Europâ ſparſæ ſunt, calumnias poſſit inculpatè reſponderi. Multa enim hac ſuper re ſcribuntur, plura ſparguntur, & vbiuis à quolibet iactantur; Rexque noſter paſſim omnium fit fabula & prouerbium, vti & iuſta illius arma in agrum Iuliacenſem alioſq; vicinos illata. Plenis faucibus, mutis, verùm armatis & dẽtatis, calamis,

ſummam illius in prouincias illas iniuriam paſsim clamitant,& ad rauim vſque inculcant.

Bonavent. Non poſſum non ſatis hominum impudentiam obſtupeſcere. Verùm,quod duabus mulieribus litigantibus vſu venit, vt ſcilicet ea quæ vitæ inquinatiſſimæ & infamiſſima eſt, priùs alteri litem moueat,quò & ſuam infamiam ac propudium tegat,& vicinæ iuſtitiam verbo aliquo probroſo ſubuertat, cauſæ iniquæ æquitatem, & æquæ iniquitatem affricare conata; idem hac in controuerſia locum habere mihi veroſimile fit.

Etenim Vallis Tellinæ Catholici, cùm ſe, præter fas & æquum, & ſecùs ac mutuo promiſſum & addictum erat, oppreſſos, vexatos, facultatibus exutos,patrio ſolo exactos,& immaniùs,quàm in Turcica ſeruitute ab hæreticis haberi, neque vllam meliorum ſpem alicunde affulgere cernerent;omni vicinorum & amicorum ſuorum ope deſtituti,& iam ad extrema redacti, miſſâ ad Regem noſtrum,velut veræ fidei protectorem & tutorem,legatione, illius opem efflagitarunt, vt nimirum ſuis ipſe armis cauſæ ipſorum æquitatem tueretur, ac quam omnibus notiſſimam à Griſonibus hæreticis paterentur iniuriam ac violentiam,à ceruicibus ipſorum depelleret.Nec fruſtra petiere.etenim Mediolanenſis Gubernator,Regiis Catholicorum æquitatem armis vindicandam

ratus,

ratus, iis mox opem tulit, ſuis eos facultatibus, & Eccleſiaſticos beneficiis ac templis reſtituit, extorres reuocauit, ipſos iniquos proſcriptores & oppreſſores ſolum vertere compulit. Griſones, tamquam intolerabilem ab Hiſpano iniuriam paſſi, de ea mox ſuos per Legatos apud Francorū Regem expoſtularunt. Verùm, poſt varias vltro citroq; miſſas legationes, diuerſa poſtulata & refutata; ita tandem inter vtrumque Regem conuenit, vt quæ Hiſpanus occuparat opida, Romano Pontifici, quaſi neutri parti addicto, ſeruanda traderentur, quoaduſque cauſæ æquitas exactiùs diſcuteretur, & parti alterutri adiudicaretur. Dictum, factum. Rex itaque noſter, præſidiis & copiis ſuis è Valle euocatis, munitiora opida & arces Pontificis poteſtati tradidit; qui, velut ſequeſter & arbiter, ſuis ea præſidiis inſedit & protexit.

Verùm, non multò, miſſis trans Alpes copiis, Gallus Tellinam Vallem inuadit, Pontificiiſque pulſis præſidiis, cuncta eiuſdem propugnacula occupat. Nihil tale ſuſpicatus Hiſpanus, at ſincerè procedens, de apertiſſima hac apud Summum Pontificem iniuria per Legatos eſt conqueſtus. at, cùm ſe & tempus terere, & fruſtra apud eum verbis agere videt, armis vtendum ratus, ea in Gallos dictæ Vallis iam poſſeſſores, quò ſuæ æquitatem cauſæ tueretur, & quam priùs Catholicis tulerat opem,

afferre pergeret, conuertit. Atque hæc pura & ipsissima rei veritas.

Non est verò meum, hîc disquirere, vter Regum potiore iure nitatur: tantum quippe in scholis Iuris prudentiæ non hausi; vtpote qui iam inde ab adolescentia inter arma, non libros, vixi. At ferream rabularum quorumdam miror frontem, qui tum linguâ, tum calamo, in Regem nostrum identidem tam malignè debacchantur. Licuítne Angliæ Regi, Batauos, apertissimos rebelles, veræq; fidei desertores, aduersus Regem nostrum, legitimum ac naturalem suum Principem insurgentes, auro & milite, sine vlla iniustitiæ nota suffulcire & iuuare? Idémne licuit Gallo, sicuti non paucis editis libris Galli ei licuisse ostendere gestiunt? Cur Regi nostro non liceat, Catholicos oppressos, proculcatos, præter fas & promissa eiectos, extorres, bonis exutos, armis suis protegere, cùm illius hi opem priùs postulassent? aut hæretici Batavi, Christianorum Principum, vt aduersus legitimum Regem suum bella suscipiant, auxilio & subsidio digniores sunt, quàm prisci Vallis Tellinæ Catholici auxiliaribus Catholicorum copiis, quibus se aduersum iniquos sui oppressores Grisones hæreticos tueantur? Si duobus his Regibus citra culpam licuit, suis Batauos rebelles & hæreticos armis propugnare, & aduersus legitimum naturalemque Principem

cipem ſuum pecunia & copiis ſubmiſſis fouere; quid ni Regi noſtro liceat ac licuerit, ſuis Valtellianos Catholicos, oppreſſos & ſub onere Griſonico fatiſcentes defendere?

Vtra pars iuſtiùs arma induerit, aut æquitatem pro ſe habeat, non dico; at non intelligere me, quomodo duo illi Reges in cauſa iniqua ab omnibus paſſim inſontes cenſeantur, noſter verò in bona iniquitatis inſimuletur. An non Rex noſter occupata armis opida, Pontificiæ poteſtati tradidit? quid vltrà requirant? Ergóne Gallo, qui in arbitrium & neutralitatem hanc conſenſit, præter omnium exſpectationem licuit Tellinam Vallem armis opprimere, Pontificis præſidiarios exigere, omniumque ſibi locorum dominium arrogare? Quis igitur Regem noſtrum arguat, quòd Gallis iſtic ſeſe oppoſuerit, ac priorem adire poſſeſſionem, quam antè quàm Papæ arbitrio lis & controuerſia committeretur, habebat, tentarit; præſertim quòd iam & ſequeſtratio diſturbata, ſequeſterque loco, de quo controuertebatur, vi cedere compulſus eſſet?

Gallum hîc neutiquam damno vel culpo; at non video, quomodo prudens & cordatus quiſpiam, hiſce in armis hunc vt inſontem, Hiſpanum verò ſontem habeat. Hoc ipſe in animum vt inducam, induci prorſus nequeo, nec vt vllus ſapiens Gallus in ſuum, ſine fuco & ſincerè

ſincerè inducat, vllatenus mihi poſſum perſuadere.

De Palatinatu nihilo minùs miror. Bohemiæ Rex coronatus erat FERDINANDVS: ſubditorum illius nonnulli, tam Caluiniſtæ quàm Huſſitæ, aduerſus eum inſurgunt. Ergo Palatinum Comitem euocant, qui, omnibus quibus poterat, hæreticorum, Turcarũ, perduellium, armis ſuffultus, præter fas & æquum, contra fidelitatis iuſiurandum, quam Cæſari, in quantum Elector Imperialis, debebat, contra omnia tum humana, tum diuina iura, Bohemicam FERDINANDI coronam ſibi arrogat; Gaboris Bethlini ſubſidiis, Hungariâ illum deturbat; hæreticorum armis, Sileſiâ, Morauiâ, & potiſſimâ Auſtriæ parte exuit: vt, vnâ demptâ Viennâ, & aliis pauculis opidis, omnibus ſe prouinciis ſuis ac regnis diſpoliatum Imperator videret. Hac in neceſſitate conſtitutus, primò Dei, dein ſororij ſui Hiſpanorum Regis, & exinde nepotis, qui modò Hiſpanici regni gubernacula tenet, opem efflagitat; qui per BVCQVOYÆ Comitem, aduerſus infinitam hoſtium manum, & varios exercitus, perexiguo militum numero, aliquot eum annis, magis diuinâ quàm armorum potentiâ protexit.

Hanc Cæſaris iniuriam, nec non ſceleſtiſſimam hæreticorum impietatem & audaciam BAVARIÆ Dux cùm videret, iuſtitię actus zelo,

ceu

ceu nouus Iosue, Gedeon, Iudas Machabæus, quibusdā Germaniæ proceribus Ecclesiasticis in oneris partem venientibus, armis eam sibi vindicandam censuit. BVCQVOYO itaque se iungit; vnde cōcordibus animis & armis ambo ante Pragam, hostē proterunt. Quo in prælio, magis diuinam, quàm humanā, dextram licet agnoscere. Etenim hostē, positis in colle castris inaccessum, tormentis bellicis vndiquaque circumuallatū, Pragam à tergo velut inexpugnabile propugnaculum habentem, aduersarios tum equestrium, tum pedestrium copiarum numero multò superantem, recentem, rebus omnibus instructissimū; Bauarici & Bucquoyani superioribus viarū incommodis licèt fracti, exhausti, necessariis destituti, loco castrorum decliui & iniquo prępediti (quos proinde velut in cliuum obnixos ascendere oportuit, vt hostem ferirent) inuadere non dubitarunt. Attamen ille castris exuitur, funditur, ac fugatur: Praga, in qua supra quinquaginta bellatorum erant millia, expugnatur: simul & Bohemia vniuersa in Cæsaris potestatem concedit; quam & mox secutæ Silesia, Morauia, Hungaria, & reliqua per Austriam opida: denique Palatinatus ipse, partim Regiis, partim Bauaricis, armis Exregi Palatino eripitur.

Quis Regem in his omnibus meritò culpet? Palatinus Comes, Imperatoris cliens & subdi-

tus, contra legitimùm Principem ſuum arma induit, & regno illũ priuat; obloquitur nemo, aculeatis eum ſcriptis oppugnat nemo. Præter hæc, Gaborem & Turcas concitat, vt Cæſarem impugnent; ecce tacent omnes. Vniuerſos Cæſaris fautores & præſidiarios tum per ſe, tum per ſuos, Sileſiâ, Hungariâ, Morauiâ, & potiſſimâ Auſtriæ parte expellit; nemo verbum, nulli in chartam inuolant calami Imperatorem propugnaturi; nullus Palatinum damnat & ſugillat. Vindex Deus inuaſorem eiicit proprio, ſpurium Bohemorum Regem ſolio deturbat, Imperatorem in propria reſtituit; ſuas Rex noſter hunc in vſum ei copias, tam ad proprium patrimonium recuperandum, quàm ad condignas de alieni peculij inuaſore Palatino pœnas ſumendas, commodat; confeſtim omnes Regem carpunt, eiuſque factum vellicant, quòd, ad Imperatoris petitionem, SPINOLAM ad Palatini ditionis occupandas cum copiis miſerit. Qua in expeditione tot propè rurſus videbimus prodigia, quot geſta & expeditiones. Videas namque

Primò, vt SPINOLA perexigua militum manu, potentiſſimis licet diuerſorum Proteſtantium Principum exercitibus circumvallatus, inter incognitos, & hoſtes, & alieno in ſolo ageret, omnes propè Palatini ciuitates, ſempiterna confœderatorum Principum Lu-

thera-

norum cum infamia quàm breuiſſimo tempore expugnarit. Putabant hi Regias ſe copias Germanâ, Lutheranâ & Caluinianâ quadam expeditione diſſipaturos, quaſi ſi vno Lutheri cyatho tam facilè SPINOLAM cum ſuis difflaſſent, quàm totum Lutherus decalogum vno hauſtu & halitu è ſuo Decalogari cyatho exhauſit; nullum inter vaſtum Heidelbergenſe dolium & veteranum Ducem, cuius victricia orbe toto arma iam claruerant, nullum inter cōpotatores & exercitus, inter crateras & veteranos milites, amphoras & ſclopetos, culullos & ſariſſas, lances & lanceas, farcimina & enſes, petaſones & verbera, nullum denique inter inexpertos milites & periculis ac certaminibus innutritos, diſcrimen ſtatuentes.

Secundò, vt Brunſuico-halberſtadienſis, Marchio Durlachius, & ſpurio-Mansfeldius, triplicem ſimul conſtituentes exercitum, aduerſus GONSALVVM DE CORDVBA, & TILLIVM, pauciſſimis inſtructos, in aciem prodeant: tanta tamen potentia mole ſua fatiſcens, ſuccumbat, Palatinatus totus ad Regem tranſeat, &, quamuis multitudine noſtros duplo penè ſuperarent, tertiò tamen profligentur, non tam hominibus, quàm Deo pro Imperatoriis depugnante. Et, ecce ad nauſeam vſque, rabulæ omnes hîc ogganniunt, ſcriptiſque virulentis Regem noſtrum calumniantur. Miror, eos &

in

in Deum calamum non ſtringere, eumque non culpare aut calumniiis proſcindere; qui, vt euidentiſſimè patuit, Imperatoris cauſam tuendam ſuſcepit, hoſtium inſolentiam deiecit.

Quis ergo Chriſtianus approbet, aut ferat, Palatinum, numquam ab Imperatore vel in minimo violatum, aduerſus eum inſurgere ac rebellare; Turcas, & Turcis deteriorem Bethlinum, in eum concitare; omnium ferè Proteſtantium Principũ arma euocare; ſibimet ipſi manu armatâ coronam Bohemicam, quam Cæſari præter fas & ſacrilegè detraxerat, imponere? Huic nemo occlamat, omnia ex æquitate & Dei ita diſponentis voluntate fieri cenſentur. At ſtatim vt auunculo ſuo Rex noſter, in cauſa iuſtiſſima, & qua æquiorem nulla vidit ætas, auxiliarias mittit copias; varij hinc inde per Europam volitant libelli, quaſi is rem iniquiſſimam tueretur. Hoc vt feram, à meipſo nequeo impetrare.

Galliæ & Britanniæ Regibus fas erit, Batauos rebelles Regis noſtri ſubditos, totis viribus propugnare, & hunc omnimodis impedire, ſuo ne patrimonio pacificè fruatur; Hiſpano auunculum iuuare, quò ſubditum ſuum, rebellantem, & imperij arrogati reum, Bohemiâ aliiſque prouinciis iniquè inuaſis expellat, & pro meritis eum in proprio caſtiget, minimè lice-

licebit. Quonam ex Euangelio huiuſmodi Chriſtianus calamus lac ſugat? ecqui doctrinam hanc Patres tradidere?

Ludouicus XI. Galliæ Rex Caroli Audacis filiam à morte patris, Burgundiæ Ducatu, & non modica aliarum prouinciarum, quas pater Carolus moriens poſſederat, parte ſpoliat, eaſque ſibi, vti & alia non pauca dominia legi Salicæ non obnoxia, quorum proinde à feminis adiri hereditas poteſt, quæque ad Sereniſſimam Infantem ISABELLAM (cuius mater trium Regum fratrum fuit ſoror, & ex Regia Valeſiorum ſtirpe ſola iam ſupereſt) æquiſſimo iure pertinent, vendicat; & nemo iniquam hanc eius inuaſionem carpit. Gallis, nullo præuio bello, licebit Metim, Virdunum, Tullum ab Imperio præſcindere, & etiamnum poſſidere: adhæc Cameracum occupare, Ducem Alenſonium magnis cum copiis in Belgium mittere, quò in prouinciarum Belgicarum Principem inauguretur; hinc & nemo rem hanc damnat, ſed vt bonum factum interpretantur, tamquam ſi diuino illa nutu & beneplacito fieret. Hiſpaniarum Rex auunculo aduerſus rebelles auxilio venit, & ad eos qui impio & ſacrilego terras & prouincias Imperatorias auſu inuaſerant, hiſque eum pepulerant, ſuo in peculio (vti promeriti erant) caſtigandos cooperatur; & nulla typographica

præla

præla ſatis ſunt, ad probroſos in Regem noſtrum confictos libellos cudendos. Palatinatum, Cæſaris in obſequium, & rebellantis ſubditi caſtigationem, occupat; & ſatis Europa chartæ non habet, ad infamia in eum ſcripta & ſatyras per orbem euulgandas. at cùm ſibi Palatinus regna & prouincias alienas, ſuique Imperatoris, nullâ præuiâ æquitate vindicat; nulli ſeſe Reges in cauſa Imperatoris mouent, calami quieſcunt, arma velut ſitu & rubigine obſita deliteſcunt. Quis hæc intelligat, quis comprehendat? Imperator ceu nouus Moſes Domini opem implorat; & MAXIMILIANVS magnus Bauarorum Princeps, Caluiniſtas & Lutheranos Proceres, qui aduerſus Chriſtum Domini tunc conſpirarant, vti olim Ioſua Amalecitas, profligat; BVCQVOYÆ Comes adinſtar Machabæi vitam diſcrimini obiectat; & vniuerſa ſudant præla. Palatinus, vt nouus Amalec, Nicanor, Bacchides, impia in Imperatorem dominum ſuum arma vertit, nemo linguam, nemo manum, nemo calamum mouet.

De Iuliaco quid dicam? Imperator armis fraternis eam occupat, illam ei ceſſurus, cui Iudices controuerſiæ dirimēdæ præpoſiti adiudicabūt. Hollandi, Francorū armis, eam obſidio premunt, intercipiunt, & diu poſſident; obloquitur nemo, imò Chriſtianum & pium opus cenſe-

censetur. Hispaniarum Rex Duci Neoburgico, legitimo Iuliacensis & Cliuensis Ducatuum, Montium, aliarumque inde dependentium terrarum heredi, cuius mater, vnica superioris horum dominiorum Ducis, (huius mater FERDINANDI I. Cæsaris erat filia) proles in viuis superest, fert suppetias; omnis charta volitat, calami omnes viuere incipiunt.

Batani per speciem Brandeburgici iuuandi, varias ciuitates occupant, Embricam & Ressam præsidijs suis detinent & premunt; nemo mussitat. Rex verò, petente Neoburgico Duce, opidorum præsidia adauget; ferè orbis totius arma incalescunt, nemo non se ad scribendum accingit. Quis capiat hæc? Si Batani Iuliacum retinuissent, & sua in ea præsidia firmassent; omnes se domi continerent. Regi verò nostro, in Ducis illius qui legitimus eius est Princeps, gratiam & vsum, sua ibidem præsidia locanti, anathema nemo non pronuntiat, ac diris caput eius deuouet; imò, si possent, lapidibus eũ vniuersi impeterent. vniuersa enim illius verba & facta, quantumcumq; iusta, blasphema censentur, ac proinde digna quæ lapidũ imbre luant. Neminem calumnior aut culpo, nec quis æquitate causæ nitatur, meũ est definire; sed hæcce status axiomata & vulgò receptas doctrinas intelligere me non posse, palàm pronuntio, nec sacris ea Litteris deprõpta videri. Ea qui vsur-

pant & probant, vndenam mutuati ſint & hauſerint, ſecum ipſi diſpiciant. Hiſpanienſe ingenium meum vtcumque ſtupidum, profunditatem hanc nequit penetrare, nec ad hanc altitudinem euolare. Quem mihi militi, & in armis nato & adulto ſtuporem ignoſcas oportet.

PELAG. Aliam curioſam à te quæſtionem ſi petiero, veniam, credo, dabis. Scire ergo à te velim, vndenam Batauì omnem illam, quæ bello, quod aduerſus potentiſſimum orbis Monarcham tot per annos geſſere, & tot in Occidui & Orientis Solis Indiam mittendis claſſibus neceſſaria fuit, hactenus pecuniam compararint?

BONAVENT. Vicinorum Regum ærarij cum damno id factum comperies; & ſolã Galliam, toto hoc belli tempore, plus quàm centum & duodenos florenorum milliones Batauis ſubminiſtraſſe: nec minora ab Angliæ, Daniæ, Sueciæ Regibus, Proteſtantibus Germaniæ Principibus, ciuitatibus Hanſeaticis, Venetis, & alijs Rebuſpublicis, ad regni noſtri oppreſſionem, illis miſſa ſubſidia.

Intuere dein immenſos ipſarum Prouinciarum Confœderatarum annis ſingulis prouentus, vt quæ iam pridem, è ſeptimo è domibus ad pretium taxatis, & è quinto ex agris collecto nummo, (quã quidam collectionem, etiam non ſine emolumento, redimentes, in ſe quotã-

nis

nis ſoluendam recipiunt) ſupra ſeptem florenorum milliones conflarunt.

His adde pecuniam illam, quam Regij in Belgio pagi, vaſtationem hoſtilem redimentes, hoſti menſtruè ſubmittunt, ad binos florenorum milliones per annos ſingulos aſcendentem: nec non tres illos milliones, quos è portorio, quod *Licentias* dicimus, annuè collegerunt. Sunt autem hæc extraordinarius prouentus, præter ordinarium illum, quem è ſingulis rebus venalibus colligendum indixere: nihil vt in hominum vſum cedens, ab annua ſit penſione & grauamine immune, ſed ita grauatum, vt grauari non poſſit ampliùs. Hinc omnis bos & vacca annuè pendunt florenum, ſingula verò animalia dum mactantur nummum octauum; tritici molendi modij quatuor ſtuferos tricenos, ſiliginis duodenos, hordei ſenos: ciues non caupones pro vaſe cereuiſiæ florenos tres ſtuferos octo, caupones verò florenos ſeptẽ, ſtuferos ſedecim pro *Impoſt* vt dicunt, præter ordinarium ciuitatis tributum: pro vaſe vini ciues duodecim florenos cum dimidio, caupones quinquaginta, vltra ordinarium ciuitatis vectigal. equi diuendití nummum octauum; omnia bona immobilia, quotieſcumq; demum venditione permutantur, quadrageſimum; & capitalis eorũ ſumma, quingenteſimũ. Sal pro temporis ratione ac diuerſitate, & pro domeſticorũ in ſingulis familijs

numero taxatur, hero indictum in singula capita tributum pendere coacto, esto tantum salis neç emere, nec insumere decreuerit. Butyri libra tres pendit quadrantes, tonna cespitum stuferum cum dimidio. ne currus quidem & cymbæ à tributo excẽptæ sunt : imò iam de calceis grauandis actitatur. crediderim & galeros, pallia, tibialia, thoraces, interulas, calyptras, ricas, collaria, indusia, antependia, mulierum poderes, crepidas, manicas, igniaria, sedes, scamna, mensas, lecticas, nasos, oculos, aures, ipsos denique hominum digitos nouo grauamine onerandos: in quod omnes, credo, incolæ non inuiti etiam consentient. adeò vt operarium è viginti illis quos in diem lucratur stuferis, duodenos penè ad communẽ patriæ necessitatem necesse sit contribuere: & multos, inter opulentiores reperire sit, quos vltra bis mille florenos annis singulis, ob varia hæc grauamina conferre oportet. imò multis in locis eò res deuenit, vt conductor, villicus, aut inquilinus plus ad cõmune reip. bonum, quàm locatori suo aut domino pendat. Adhæc, vniuscuiusque facultates cæca quadam æstimatione taxantur, & pro illarum amplitudine cuique pensio annua, huic quidem quingentorum, illi mille, alteri bis mille, etiam sex mille florenorum, pro taxationis magnitudine indicitur. Vix quisquam credat, quæ quantaque illarum prouinciarum incolæ

one-

onera ſubeant. nulla vt caro menſæ inferatur, quæ non ad minimum quinquies tributum antè perſoluerit: primum, dum primùm in Batauiam animal ingreſſum eſt; ſecundum, dum in paſcuis egit; tertium, dum mactatur (vocant id tributum victimarium;) quartum, pendũt pelles & corium; quintum, carnis iam mactatæ emptor: quam ſi dein ſalire velit, ſextum, tributum ſalis pendat oportet. Atque vt ſe res habet in carne, ſic & in ceteris rebus omnibus. Iam verò etiam actitatur, vt è domorum omnium locandarum pretio octauus nummus pendatur; & decimarum, quę hactenus duodetriginta ſtuferis in cẽtum grauatæ fuere, tributum iam ad quinq; & triginta aſcendat. quin & gallinę & capi menſę inferendi dimidium pendunt ſtuferum, galli Calecutani & pauones octo.

His addas oportet, florenorum millionem pluris illis quoad expenſas præſtandas valere, quàm Regi millionem auri. Nam Primò, nulli extraordinaria ſumptuum tolerandorum ſubſidia dant. Secundò, nullos emeritos milites fouent. Tertiò, nulli ſua adaugent ſtipendia, niſi ad altiora ſimul munia promoueant. Quartò, reformatis militiæ officialibus nullam pecuniariam penſionem aſſignant. Quintò, non ſunt apud eos tot *pagadores*, *contadores*, & alij inutiles, & ſolo nomine tenus pecuniæ Regiæ adminiſtri, quorum integram propè co-

hortem Rex noster habet & tolerat. Sextò, nulli variorum muniorum nomine & specie, duplicatum numeratur stipendium. Septimò, militibus ipsorũ annus nonnisi octo est mensium, cùm in stipendij numeratione cuilibet mensi quadraginta assignent dies. Octauò, ob aquarum opportunitatem, impensa bellica quadruplo penè illis minoris stat, quàm Regi, quem carris & curribus cõmeatum omnem castrensem terrâ conuehere necesse est.

Classium porro, quas vtramque in Indiam emittunt, nullam Ordines impensam sentiunt, quòd societates duæ, quas priuati & benenummati mercatores constituunt, illam omnem subeant. quantum quisque vult & potest, pecuniæ symbolam in eam confert, pro cuius dein magnitudine de lucro participat. Hancque negotiandi methodum non vtraque in India solùm, sed & in omnibus cũ oræ Africanæ incolis, Ægyptijs, Syris, Moscis, & Groenlãdis, mercimonijs vsurpant. è quibus nõ ipsi solùm instructores & mercatores, sed & vniuersa regio, mirificè ditatur, & permagnum vectigalium prouentus incrementum capit.

PELAG. Ecquid in causa putas, quòd Bataui, post tot nauium & classium iacturam, nouas quotidie in Americam expeditiones suscipiant?

BONAVENT. Post tot irritos conatus, identidem idipsum eos tentare, tum mirari desines, si

quæ

quæ inde ſperent emolumenta,tecum perpendas: maiora hæc enim ſunt, quàm quæ ex alijs omnibus regnis ſimul conſequi ſperent. Compendium enim quod ex Orientalis Indiæ frequentatione annuè colligunt, collatis inter ſe annis,quatuor florenorum milliones non excedit; Guineenſe, non parit duodecies centena millia; Ægyptium,non ſeſquimillionem; Moſcouicum & Groenlandicum iuncta vix etiam ſeſquimillionem. Vt vniuerſus harum nauigationum quæſtus octo florenorum milliones annis ſingulis non multum ſuperet, cùm ex Occidui orbis frequentatione longè vberior ſperandus ſit,idque è ſolis mercibus euehendis inuehendiſque, vt de auro argentoque infecto è fodinis effoſſo nihil dicam.

Quod vt meliùs intelligas, noris oportet, Hiſpaniarum Regem annuas ſuas Americanas meſſes non tã ex argenti & auri fodinis, quàm è mercibus & fructibus patrijs, videlicet, ſaccaro, cærulo colore (quem *Indicum* vocant) muſca tinctoria,goſſipio, tabaco,lignis,coloribus & aromatibus; tum etiam ex ijs quæ Hiſpani & Luſitani eôdem inuehunt,oleo,vino,& omnibus quæ in Europa conficiuntur operibus,colligere. è quibus & Rex incredibilia capit vectigalia, & mercatores quæſtum incomparabilem faciunt.

Id demum verum eſſe fatebere, ſi conſide-

res in ſola Braſilia pluſquam ducentas & quadraginta eſſe officinas ſaccaro conficiendo deſtinatas: ſi vnamquamque, pariato prouentu, annuè ſupra ſepties mille arrobas ſaccari parare demus, quælibet autem arroba duas & triginta libras contineat; ſingulæ ducenties & vicies quater mille libras, ſimul omnes tres & quinquaginta milliones, ſeptingenta & ſexaginta millia librarum ſaccarearũ quotannis dabunt. iam ſingulæ libræ ſi ſex ſtuferis veneant, ſedecim florenorum milliones ſolum ſaccarum pariet, cùm merces aliæ etiam duplo ampliorem prouentum ferant.

Notandum inſuper, Hiſpanos ex America, (Braſiliam ſub ea comprehendo) quinquaginta circiter argenti milliones percipere: è quibus vix duodeviginti auri & argenti dant fodinæ, reliquos verò duos & triginta euectæ merces & fructus. Videas hinc, quàm ſit cum his terris commercium quæſtuoſum. mirari proinde deſines, Hollandos, illius acquirēdi ſpe tantos ſubire ſumptus, nec vllum ſubterfugere.

Imò, etiamſi oram aliam præter quam nos frequentamus & incolimus, adirent, ſatis certè America terræ habet, in qua ſua ipſi exercere commercia nullo noſtrorum damno poſſent: nam, peritiorum negotiatorum & geographorum ſupputatione diſcimus, facilè in ſexcenties mille leucas patentem hinc inde ſupereſſe regio-

gionem, quam hactenus Hiſpani nec adiere, nec ſui iuris fecere: habere hanc quoque plurimas auri, argenti & æris fodinas, & non modicam illius portionem noſtris prouincijs fertilitate ſalubritateque præſtare.

Iam, fateamur oportet, Batauos agricolendi, mercandi, negotiãdi induſtria noſtratibus antecellere: verendũ vt ſit, ne, ſi ſemel in America pedem figãt, inſigne tã in mercimonijs, quàm vectigalibus Regijs, nobis damnũ ſint illaturi. cũque iam ſaccarũ quod è Braſilia defertur, à loci illius mercatoribus, ſupra centum ac triginta in cẽtenos ſingulos oneretur, merceſq; quæ è Luſitania in Braſiliam cum ſaccaro commutandæ mittuntur, certo etiam onere grauentur; ipſiq; adeò ſaccaro, cùm in Luſitaniã venerit, ipſi Luſitani mercatores, ſupra impoſitũ à prioribus in Braſilia pretiũ, nouũ grauamen imponant; fit vt vniuerſum facilè onus in ſingulos centenos ad centũ & ſeptuaginta conſcẽdat, magno & Regis & ſubditorum quæſtu. qui indubiè minuetur, ſi Batauí pedem in America fixerint. nam ſaccarum æquè ac reliquas merces longè minoris quàm modò Luſitani, vendere poterunt.

Dices, multum requiri temporis, antequam è nouis plantis & fruticibus haberi queat fructus. Sed reſpondeo, non tantum, quantũ vulgò putatur: ſaccarum enim anno primo fructum dat: Indicum cæruleum, tabacum, goſſi-

pium quinto poſt plantationē menſe colligitur.

Adhæc, ſi Bataui oleas & vineas in Americam ſemel inferant, quantum hinc vniuerſæ Hiſpaniæ, putas, dãnum accedet? etenim multò vilioris erunt fructus iam domi nati & proprij, quàm quos modò Americani ex Hiſpania petere & exſpectare coguntur.

Viden' Batauorum induſtriam, dum ſumptu & impenſa mercatorum, ſine vllo prouinciarum grauamine aut damno, prouentus ſuos adaugent,& nouas ſibi regiones ſubdunt,vti in Orientis Solis India eos feciſſe liquet?

Hæ ſunt rationes, ob quas tanto cũ nauium & pecuniarũ impendio Bataui Americam ſibi frequentandam cenſeant, & cur ſuperiorum annorum iacturã in eo paſſam pro nihilo ducant. ampli quæſtus ſpes omne dulcorat damnum, vti & ſperata præda militum vulnera & plagas. Trium poſteriorum claſſium in Americam miſſarum iactura ingens,fateor,fuit; ſed ea ſperati lucri eſt magnitudo, vt illa præ hoc nihil eſſe videatur; præſertim quòd in partem illius plurima mercatorum concurrant capita: adeò vt priuati cuiuſque iactura, tametſi ingens in ſe,exigua ſit. quin imò, eſto ſuperioris menſis tempeſtate duorum millionum argenti paſſi ſint diſpendium, quorum pars quarta ad ſolos Zelandos ſpectauit, nondum tamen animo cadunt, ſed nouam in Americam expedi-

ditionem non minùs impigrè adornant.

Pelag. Egregium ſanè incomparabilis generoſitatis exemplum. nunc ſcire eâdem operâ optem, in quo potiſſimùm Batauorum cum Afris commercia ſita ſint, quas in Africam merces mittant, quas inde exportent, & quibus ſtationes in locis habeant.

Bonavent. Africana commercia ſex maximè in locis exercentur.

Primò, in flumine Senegalenſi. Illuc important ferrum, pelues æneas, pellucidam cryſtallum, coraliũ, prę́ſertim longiuſculũ; vitrea omnis coloris roſaria, & alias id genus minutias. Inde verò reuehunt arefactas animalium exuuias, & quidẽ per annos ſingulos ſexaginta aut ſeptuaginta millia; item gummi Arabicũ magna in copia, ambram griſeam, & ceræ aliquantulũ.

Secundò, in Promontorio viridi. Illò inferunt ferrum Namurcenſe, cryſtallum, coraliũ, omnigena æramenta Norimbergica, penulas gauſapinas Hibernicas, lodices Duffelenſes, vinum igne decoctum, quod aquam vitæ vocãt; vitreas omnis generis elegantias, pelues ahenas, diuerſas è lino & lana contextas telas. referunt verò ebur, dentes elephantinos, ambram griſeam, ceram, orizam, & pelles ſole induratas, (& earum facilè centum millia) veſtes goſſipinas varias, quas in Guineam dein auectas cum auro illic commutant.

Ter-

Tertiò, in ora granaria & dentaria. Huc feruntur inter alia ferrum Namurcenſe, pelues & cacabi ærei, omnigeni vitrei globuli. Reuehuntur verò dentes elephantini, & piper Guineenſe:& quidem tanta in copia, vt quotânis ducentæ eius tonnæ & amplius inde exportentur.

Quartò, in ora Guineenſi. Vehunt huc Namurcenſe ferrum, pelues æneas, telas lineas Sileſias, quæ in Flandria meliores cõfici poſſent; ſtragula lanea menſalia, quæ Tornaco & Inſulis commodè petentur; roſaria vitrea, quæ tam his in terris, quàm Venetiis parari queant; pannos quoque Boreales ſpiſſiores, Hibernicas penulas, ſtragula Duffelenſia, telas lineas coloratas varias, amicula goſſipina, vina ad ignẽ diſtillata, omnis generis cultros, armillas æreas & ſpinteres, ſecuriculas, aſcias, coralium, & quidquid Norimberga ſubmittit æramenti. Hæc verò mutant cum auro patrio, cuius is eſt valor, vt penè viginti & duarum caratarum illius puritas eſſe perhibeatur. referunt illius annuè bis mille quingenta pondo. Loca, in quibus plerumque cum indigenis negotiantur, ſunt hæc, Aſſinum, Arx Minenſis, Comenda, Maura, Carnẽtinum, & Accara: loca verò, in quibus illa auri permutatio fit, vix vicenas in latitudinem patent leucas.

Quintò, in Sinu Benino vel Lagenſi. Hîc vitrea

trea rosaria, tapetia, Norimbergensia crepundia, coralium, & telæ Cameracenses permutantur Primò, cum vestibus gossipinis, quæ deinde in ora aurifera cũ auro permutantur quadruplo cariùs, quàm in hoc Benino Sinu sunt emptæ. Secundò, cum pipere Benino, quod Indico præstantius & acrius est. Tertiò, cũ Mauris mancipijs, quæ deinde in Brasiliam auehuntur. Quartò, effertur hinc quoque ingens eboris vis, cuius libra vix tribus stat stuferis. Hac in ora celocibus nauigatio instituitur, & illæ maximè merces diuẽduntur, quæ in Guineensi cõmodè emptorẽ aut permutatorẽ non inuenere.

Sextò, in regno Angolano. Huc inferunt boreales omnis generis pannos, vestes lineas, præstans coraliũ, vitreos globulos, ferrum, pelues aheneas, Norimbergensia æramẽta: quæ permutant cum Mauricis mancipijs, quæ in Brasilia & alijs locis veneunt; & elephantorum dentibus. quorum tam hinc, quàm ex alijs locis, sexcenta propè quotannis in Hollandiam millia mittuntur.

Pelag. Curiositati meæ abunde per te factum satis; vt iam tum apertè videam, quanam in re Batauorum sita sit, & quibus artibus frangi queat potentia, & quo illorum arrogantia modo cogi Regis sui imperium agnoscere. Didici quoque, qua Rex arte sine vllo ærarij sui detrimento potentissimos terra marique alere

queat exercitus, maris ſibi imperium (ſine quo belli huius ciuilis non haberi, nedum ſperari, finis poteſt) comparare, & peruicaces Batauorum animos, vt ſubſidant, & dominum agnoſcant, compellere. Sed fore vt Rex conſilijs his acquieſcat, & me bene monentem audiat, vix ipſe mihi perſuadeo, idque ob axiomata quædam Politica, quæ expertes rerum Proceres & Conſiliarij nonnulli, nullum præter Hiſpanienſem experti ſolem, Regi noſtro ſuggerent, re nec maturiùs excuſsâ, nec ab vllo, extero præſertim, edoceri ſuſtinentes, turpe rati Conſiliarium Regium, quaſi non vniuerſa noſſet, ab alio quid debere ediſcere. Eſt hic è maximis, meo iudicio, gẽtis noſtræ erroribus. Certè magnus ille Imp. CAROLVS V. per quem Hiſpanum nomen orbe toto inclaruit, vnicum omnium orbis Regum & Principum miraculum, cuius ſapientia & armata manu Mediolanum, Neapolis, Sicilia, Vltraiectenſis ditio, & Gelriæ Ducatus, & aliæ plures prouinciæ, coronæ Hiſpanienſi aut acceſſere, aut arctiùs ſunt annexæ; nos hoc minimè docuit, vtpote qui Italicos, Gallicos, Germanicos, Belgicos duces in militiam ſuam legere, eorumque conſilia exquirere & ſequi, turpe non duxit. Sed quia ab eius veſtigijs nimium quantum poſteri eius deſciuiſſe videmur; hinc ſæpè mecum dubitaui, ſatiúſne foret ad pacem aliquam, aut ar-

mo-

morum inducias cum Batauis ineundas nos descendere, quàm diutiùs belligerari, cùm Hispania paucissimos iam imperatores bellicos habeat, imò præstantes quos habuit duces penè omnes terra marique iam amiserit.

Bonavent. Ingenij mei captum longè hæc transscendunt: vellem tamen, pro militari mea opinione, rem tibi aperire, cuius neminem, præter vnum te, conscium vellem, vtpote cuius mihi fides & taciturnitas sæpiùs perspecta & probè nota est. Quis neget præstantibus hoc tempore ducibus Hispaniam destitutam esse, quos Caroli V. Imp. inuictissimi ætate gentes plurimæ habebant plurimos? Sed cedò, quæ gens aut regnum iam ducibus militaribus abundat? Totâ mihi Galliâ vix vnum reperias, cuius Hispaniam arma timere oporteat: vnum quoque Anglia virum non dabit, qui celebris imperatoris nomē mereatur, vti nec Italia tota & Germania. Inter Turcas etiam hodie non inuenias, qui cum laude arma tractent. In Polonia quoque, Hungaria, Bohemia, Dania, Suecia desunt hodie duces, quibus tutò rei bellicæ sūma credi committique posset. Et quem, quæso, hodie Batavi habent, tam equites inter quàm pedites & nauales ducem, qui magni militis & imperatoris titulum iure promereat? vt, si rem prout oportet inspicias, & omnem in partem libres,

libres, plures in Hiſpanici iuris regnis ſis reperturus viros, qui periti ſummique Imperatoris meritò nomen gerant, quàm in alijs. Vt nudè tamen dicam quod res eſt, noſtræ ſanè ætati à talibus, omnium Regum in exercitu, ſatis malè videtur proſpectum: quorum tamen abhinc annis quadraginta & quinquaginta, magna cùm in Belgio, tum alijs in regnis, fuit copia. Idem propè in omnibus ſcientijs, Concilijs, viris nobilibus vſu venire comperies, vt ab antiqua, generoſa, prudenti, forti illa nobilitate multum deciderint, & ab illuſtribus maiorum in bello facinoribus, ſolertia, ſapientia, prudentia procul receſſerint. Idem in Theologis, Iuriſperitis, & medicis, aliarumque artium profeſſoribus locum quoque videbis habere: idque in omnibus regnis.

Quid verò de pace, inducijs, aut armorum ſuſpenſione dicam? non ita pridem eſt, quòd cum cordato ſagacique viro, mihi amiciſſimo, hac ſum ſuper materia locutus. hic ſe ſibi perſuadere poſſe negabat, vt tales, quales nuperæ illæ fuere, Rex cum Batauis inducias paciſcatur, & non ſine notabili ſuæ magnitudinis dedecore tales eum aiebat poſſe contrahere, nec ſine aperta impotentiæ ſuæ confeſſione in eas conſentire. Neque enim intelligere ſe, ecquod talibus ex inducijs accedere Hiſpaniæ commodum poſſet. Primò namque, illis durantibus,

hoſtis

hoſtis ſe per otium communit. Secundò, ab alijs Regibus & Principibus tunc vt liber & ſui iuris populus agnoſcitur. Tertiò, omnibus Auſtriacæ domus æmulis & aduerſarijs auxiliares copias ſubmittit. Quartò, in Imperatotorem enſem exerit & acuit. Quintò, hæreticos, perduelles & infideles aduerſus Catholicos Reges concitat. Sextò, arcibus validiſſimis prouincias ſuas circumquaque obvallat. Septimò, ſubditos in ſua aduerſus legitimum Regem perduellione corroborat. Octauò, omnè mercimoniorum genus in prouincias ſuas inducit. Nonò, ingentem hominum mechanicorum vim ad ſedes ibi figendas allicit, idq́ue per vberem & oportunam operũ manualium, quæ induciarũ tempore decuplo magis quàm belli valent, diſtractionem. Decimò, Catholicos tũc exagitat acerbiùs & acriùs, quàm dum arma vigent: metuit enim, ne belli tempore perſecutionis rabiẽ pertæſi, animis in Regem ſuum Catholicum propendere incipiant, cuius rei induciarum tempore nullum periculum ſubeſt. Vndecimò, talibus in inducijs non minus auri Rex, quàm bello feruente, inſumit, cùm tot in mentita illa & laruata pace exercitus, quot in aperta hoſtilitate alere cogatur. Duodecimò, hoſtem hic ob liberum in omnibus prouincijs & regnis Hiſpanicis cõmercium mirè locupletat. Denique, ad Auſtriacæ domus, ab illo oppu-

gnatæ, tutelam & propugnationem, ſua per vniuerſam Germaniam ſigna circumferre cogitur.

Non poſſum, quin tibi hoc loco communicem, quod haud ita pridē Amſterodamo ad me perſcriptum eſt. Catholico enim hinc,& Gommariſta illinc de præſenti rerum ſtatu, & inter alia de inducijs aut pace,inter ſe colloquētibus; Catholicus,quibus Rex conditionibus honeſtā cum Batauis ſuis pacem inire poſſet,rogatus,reſpondit: Primò atque ante omnia neceſſe ſibi videri,vt liberum Catholicis per vniuerſas prouincias religionis exercitium Gommariſtæ permittant, & omnibus in opidis & locis mediam templorum partem ad hoc ijs cedant. Secundò, Ordines ita Regem agnoſcerēt, vti vrbes Hanſeaticæ Imperatorem, tamquam ſuum defenſorem ac tutorem, vt quas poſſident prouincias, ab eo tamquam feuda Regia reciperent, de decennio in decennium eas aliquo in recognitionē præſtito honorario, denuò ab eo recipientes & releuantes. Tertiò, nullum, præter regem Hiſpaniæ dominum aut Principem, vllo vmquam tempore agnoſcerent. Quartò, pecuniam ſuam Regio nomine ſignarent, verbi gratiâ in Hollādia quidem, PHILIPPVS IV. HOLLANDIÆ COMES,& ita per alias omnes prouincias. Quintò, honorabilem aliquam, in modum recognitionis, & ſuperioritatis ſignum, quotannis Regi pen-

pensionem, simul etiam prisca eius, vt Comitis Hollandiæ, iura & tributa penderent. Sextò, nulla Hispanicæ coronæ, aut Austriacæ domus hostibus, armorum pecuniæúe subsidia clàm aut apertè submitterent. Septimò si quãdo rogarentur, octo armatorum millia, suis meritura stipendijs Regi submitterent, quem vti hostem Principem Rex bello impeteret, suum etiam hostem ducendo. Octauò, liberam per omnia flumina, & præsertim Antuerpiense, nauigationem eo modo permitterent, quo olim nauigabantur, nouum mercibus inuehendis euehendisúe grauamen non imponendo. Nonò, omnes quas in Brabantia & Flandria iam possidēt, ciuitates & loca, aliis earum loco acceptis, permutatione factâ, Regi cederēt. Decimò, suis Americam nauibus frequentare desinerent. Vndecimò, in nullis alijs Orientalis Indiæ locis aut regionibus mercimonia sua exercerent, quàm quæ Regis Hispani imperio non parent. Denique omnes facultates & possessiones, etiam Ecclesiasticas, fisco aliàs adiudicatas, quæ quidem supersunt, quarumque dominus legitimus commodè inueniri potest, legitimis possessoribus redhiberent.

Tum Gõmarista, has sibi conditiones æquas satis videri, aiebat; multoque se reputare satius, illas admittendo ad speratam & optatam peruenire libertatem, quàm continuo hoc

bello ad extremam inopiam & ærumnam redigi. Quæ hauddubiè cõſequetur, ſi fluminum omnium nauigationem ſine vlla Rex conniuẽtia inhibere, & (quod factu ei perfacile) maris ſibi imperium (in quo ſolo omnis Batauorum vis & potẽtia ſubſiſtit) comparare velit. vt quiſquis huius vſum illis eripit, fauces ijs quodammodo comprimat, & ad quæcumque lubuerit, conuenta conditioneſque eos ſit compulſurus. Addebat tamen fore, vt in has plebecula conditiones non priùs aſſentiret, quàm terrâ ac mari, acriùs paulò ab Hiſpanis in anguſtias redigeretur. fiet id, ſi emiſſis cùm è Brabantica, tum Flandrica ora, celocibus & actuarijs Zelandi infeſtentur & fatigentur: nulli vt in pagis agenti tutò ſit. Sic enim continget, vt Zelandi, qui ab omni pacis tractatione nunc inter alios ſunt alieniſſimi, belli iam incommoda ſua intra viſcera ſentientes, ſint in ea procuranda petendaque futuri primi: & hoc præſertim tempore, quo omne illis cum hoſte ſublatum commercium eſt. Si enim octoginta, aut certè quinquaginta, in orà Flandrenſi bellicas Hiſpanorũ Rex naues haberet, quæ Batauos in Angliam aut Galliam nauigaturos identidem exagitarent, itaque commerciũ omne hoc mari diſturbarent; aliam credo (aiebat ille) populares noſtri & plebecula cantilenam canerent, quàm cecinere hactenus: idque etiam magis, ſi om-

ne

ne cum Hiſpanis commercium Rex nobis penitus præcideret:nihil quippe magis hodie plebem noſtram allectat, & quietam reddit, quàm frequentata noſtrorũ cum Aragonenſibus, Catalaunis, Valẽtinis & Cantabris & inſulis Hiſpaniæ ſubiectis mercimonia. Ea enim ni eſſẽt, potiſſima manualiũ & mechanicorũ operum pars intercideret, & opifices ipſi prouincias noſtras deſerere coacti, aliò commigrare compellerẽtur. magis etiam, ſi noſtram in Italiam, Ægyptum, oramq́; Syriæ nauigationem Rex (quod nullo negotio facere poteſt) interciperet; vti &, ſi omne noſtrum cum Afris commercium inhiberet.

Idem colloquium, & ijſdem penè verbis, eſt à Tranſiſalano nobili, & quodã è Statibus Zelandiæ viro inſtitutum: in quo hic Zelandos ad penuriæ extrema iam redactos eſſe, minimè diſſimulabat, vtpote omni maritimo commercio excluſos, & iam nonniſi rapto & piratica viuentes; & ipſa rerum comeſtibilium, agrorum, domorum, & mercium grauamina eò iam excreuiſſe, vt ſine certiſſima patriæ deſolatione & ciuium ſeditione vlteriùs nequeant aſcendere. videri proinde non inconſultum, de pace aliqua ineunda Regem compellare. Sed addebat: quis primus vadum hoc tentet? quis hanc camarinam mouere audeat? tertij ergo cuiuſdam operam hîc interuenire oporteret. Si

enim, quemadmodum Dunkerkanorum nauigationibus halecum piſcatores diſturbat, ita inſulas noſtras Zelandicas infeſtare Rex inciperet; inſignem ſanè mox ciuium ſeditionem & tumultum videremus, quorum in hoc operiſtitio, & halecum piſcatus ceſſatione, furor velut ſub cineribus latet, in apertum incendium & flammam (cui exſtinguĕdo vniuerſi patriæ Ordines neutiquam ſufficiant) ſi qua vis & oppreſſio ab exteris domi acceſſerit, erupturus. Qui religionis cauſa bellum nos gerere opinatur, næ ille grauiſſimè decipitur: incidantur nobis commercia, lucrum tollatur, mox cum Hiſpanis in religione conſpirabimus: etenim tam immenſa noſtra cupiditas eſt, vt ſolius quæſtus rationem habeamus, eam vt ſimus religionem, Regem, & politicum regimen electuri, in qua & apud quem maior lucrandi occaſio affulgebit, philargyriâ nos ducente, & obtorto velut collo rapiente, quò lubuerit. etiam Turciſmum Bataui & Zelandi amplecterentur, ſi is vberiorem ſit quæſtum daturus; imò & cacodæmonem, modò aurum ſpondeat, latriȩ cultu adorabũt. Is videlicet eorum eſt genius. Deum ibi inueniunt, vbi aurum & opes: hæc qui dat, ille ijs & princeps & deorũ ſummus; qui aufert, iuratiſſimus patriæ hoſtis. religio ſuſque deque habetur; vbi aurum, ibi religio; vbi aurum, ibi & Deus: vt nobis & aurũ & Deus pares ſint. Imò, ſi

ſi ſub Hiſpanorum imperio maior opum & argenti meſſis affulgeat, Hiſpani in ſinum vltrò nos dabimus, & è Zelandis & Hollandis Hiſpani fiemus.

Hæc abhinc circiter bimeſtri in Hollandia & Zelandia priuatos inter parietes ſunt dicta, è quibus hæc ego pauca tibi diſſerui; neſcio tamẽ, an hiſce priuatorum diſſertationibus Rex auſcultare volet: etenim hoc ab illius vnius arbitrio ſententiaque pendet.

PELAG. Sanè, eſto omnes haſce conditiones prouinciarum confœderatarum Ordines Regi noſtro proponerent, adhuc Regi tali perquã durum foret, intercedentibus illis, ad pacem cum ſuis rebellibus ineundam deſcendere.

BONAVENT. Verũ ſimul cogitet oportet, ſibi velut cum filijs prodigis negotium eſſe, ſeque, ceu indulgentem patrẽ cum immorigeris & cõtumacibus filijs cõniuere debere, etiã in ijs quæ cõtra omnem militant rationem. Vt enim omnes rebelles Belgas ſuos ad internecionem deleuerit, cogitare nihilominus debet, illos, ſuos eſſe filios, ſe verò patrem. Durũ, inquies, id eſt patri. Concedo: ſed quid refractarijs & duræ ceruicis filijs agas? eóſne ad internecionem deleas? memento verborum Dauidis: *Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, quis mihi tribuat vt ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* Cogita, quid immorigerorum & contumaciũ filio-

rum caufa, Redemptor nofter Chriftus etiam modò patiatur. quid non Romani fecerint, plebe à patribus diffidente, & fecedente. Vt fperemus, ijs quæ tẽtata hactenus, armis regiones illas edomari poffe, fruftra fumus: non nego tamen id poffe fieri, fi quidẽ viginti illos quos tibi propofui, articulos fequi & obferuare Rex, ac maris fibi imperium (quod in manu habet, prout antè fæpiùs tibi cõmemoraui idq́; ijs quos protuli modis) vindicare velit. ambigo tamen, an non multò fit futurum fatius, honeftis & æquis eũ conditionibus cum fubditis ac filijs fuis pacifci, quàm vi armorũ eos fub imperiũ & ferulam redigere. Meũ non eft hoc illi fuadere, quod à fola paterna eius clementia & affectu id pendeat. Adhæc nefcio, an ad tam æquam fe conuentionem Batauorũ arrogantia & faftus fit demiffurus; vereor potiùs, ne, efto ad extremam neceffitatem & reftim (vt aiunt) iam redacti fint, & quæcumque potuerint grauamina fuis impofuerint, nullum vt vltrà fuperfit, Regis fui arma propiùs fentire cogantur, & quidẽ maritima magis quàm terreftria. Nã vt demus eos dimidia prouinciarum fuarũ parte, imò & duabus tertijs exutos, dummodò maris imperium fibi feruent, nihil (fcio) de faftu priftino remittent: at, fi Regi cedere ipfum cõpellantur, quamprimum animo cadent, & ad quæcumque iufferit non inuiti accedent.

PE-

PELAG. Abhinc diebus aliquot, è viro illuſtri è Belgica primùm appulſo, audiui, & certè non ſine admiratione, omne illic, Regias & rebelles prouincias inter commercium Regis eſſe iuſſu ſublatũ, & grauibus propoſitis pœnis interdictũ; è quo tamen in ærarium illius, octingenta propè florenorũ millia quotannis inferebantur (quod ſanè nõ contemnendũ erat ſumptuum tolerandorum ſubſidiũ) & non minus à ſubditis eius, è merciũ omnigenarũ importatione & exportatione, emolumentũ colligebatur. Quid ad hæc dicerem non habebam; hinc, quod amico illi reſpondeam, ex ore tuo exſpectabo.

BONAVENT. Hac de re artic. XVIII. egiſſe memini, vbi cumprimis neceſſariũ duxi, omnem inter Belgas morigeros & immorigeros mercimoniorum cõmunicationem inhiberi. Licet enim ex hac inhibitione octingentorum propè millium annuè iacturã Regium ærarium faciat, ſubditi quoque eius luculento prouentu & lucro fruſtrẽtur, multarumq́; ad victum & vſum fabrilem neceſſariarũ rerum pretia ea de cauſa nimiopere increuerint; rebelliũ tamen prouinciarũ hinc natum diſpendiũ ita enorme eſt, vt ſuũ morigeras æquanimiter ferre par eſſet, quò id hoſtis incomparabiliter maius ſentiat: qui ex hac Licentiarũ clauſura, & cõmercij mutui inhibitione, lõgè ſupra tres argẽti milliones, quos ex Licentijs colligebat, annuè deperdit (eſto ſu-

prà nõnisi duos milliones assignarim, vt qui minorem semper numerũ ponere gaudeam.) nam è solis tibialibus, soccis, pileis nocturnis, interulis, & id genus alijs vestibus laneis manu sine stamine contextis, quæ è Regio Belgio ad rebelle mitti solebant, quotannis supra quadringenta florenorũ millia, Licentiarũ nomine, conficiebat: è cerasis verò, piris, pomis, & alijs huiusmodi fructibus, tum à libripende, tum Licentiarũ portorio, centies mille florenos & amplius; vt nihil dicã de priuato vendentiũ quæstu. Hinc efficere tecũ ipse potes, quantum ex innumeris alijs, & magis necessarijs, & pretiosioribus, tũ inuehendis, tũ euehendis mercibus, putà saxis, ligno, ferro, & alijs id genus, auri quotannis Batauí redigere solerẽt. dein, quantum è butyro, caseo, piscibus, frumento, aromatibus, mercibus borealibus, & alijs huius notæ, quas submittebant; quantũ è diuersissimis, quas à nostratibus viciſſim recipiebãt, confecerint; & videbis, pecuniam, quam & dixi, & dicturus sum, verè minorẽ esse eâ quæ de facto recipiebatur.

Et certè adhuc parua sunt hæc: nam, quanta rerum & mercium patriarum per mutuum hoc cõmercium esset distractio, & quis inde sequeretur quæstus, vix credat nisi qui reipsa sentiat. sunt proinde qui cẽsent, mutuũ hoc prouinciæ vtriusque terra mariq; commerciũ vicenos florenorũ milliones & amplius, tã in hac quàm in

illa, iunctim annis singulis valuisse: qui tota dein Belgica diffusi, incredibile incolis vtriusque, maius tamen Batauis, cõpendium adferre solebant. Quod per hanc Licentiarũ suspensionem prorsus sublatũ est, vt iam nesciant quid mercibus agant, aut quò eas conuehant, cùm omnis illarum in solo nostro, & penè omnis in extero, distractio ipsis sit sublata. E quo necessariò consequatur oportet, non modicã opificum (à quibus tamẽ potissima consumptibiliũ & comestibilium vectigalis pars apud eos dependet) turbam, Hollandiâ relictâ, aliò cõmigraturã, quòd per hanc commercij inhibitionẽ manualia ipsorũ opera nullus coëmat. Hinc fiet, vt, qui è cõsumptione sequitur, prouentui multũ sit decessurum, & mercatura omnis decasura; pręsertim cùm eos per fluuios, quibus suas merces euehunt & inuehunt, & in quibus maxima quæstus pars sita, nauigare inhibebũtur, putà Albim, Visurgin, Rhenũ, Mosam, Scaldin. hinc omnis eorum cum Germanis & Leodiensibus negotiatio cessabit, è qua tamen vberrima pecuniarum & merciũ messis proueniebat. Sola ergo Licentiarũ suspensio, ad aliter sentiendum, alia consilia capienda, iactantiæ alas demittendas, asperitatẽ exuendam, etiam nullis accedentibus armis, eos cõpellet: etenim per hanc fluuiorum occlusionẽ plus quàm duæ tertiæ illorum cõmercij partes tolluntur, cùm potissimã merciũ patriarum

&

& externarũ partem in Germania , Belgio, ditione Leodicensi, Iuliacensi, Cliuensi, Montẽsi, Westphala & Coloniensi soliti sint distrahere. Adeò vt ob huius prouectus defectũ, noua iam compellantur ciuibus suis onera imponere & quidquid vsquam grauari potest, grauare; vt, quod è Licentiarum suspensione sequitur detrimentũ, hac via resarciant. quæ plebi eo futura sunt grauiora, quòd per hanc fluuiorũ clausurã, & commerciorum inhibitionem, maxima mercimoniorũ & quæstus parte iã frustrata sit, & duplice virga quodãmodo vapulet, nouis videlicet exactionibus & soliti emolumenti sublatione. Quamdiu enim, patentibus fluminibus, merces vbiuis locorum distrahebantur, & hinc consequens lucrũ affluebat, imposita onera faciliùs ferre poterant, dãnum horũ sperato ex instituto cum exteris commercio quæstu leniente: hoc verò nũc sublato, onera hęc nõnisi de sudore, corio & sanguine suo persoluãt oportet. hinc illis ferendis tandẽ impares reddẽtur: quod vbi fiet, necessariò illis pecunia, quę tamẽ belli omnis neruus, alimentũ & basis est, deficiat necesse est.

Imò nuper nonnulli curiosi, calculo inito, asserere non dubitarũt, rebelles prouincias, ex hac fluminũ clausura; ex collapsa mercium, tum patriarũ, tum aliarum, quas alijs è regnis & prouincijs (vt alibi diuendant) efferebant, distractione; ex suspensa denique illarũ, quas è suprà nomina-

natis regionibus, vicinorũ fluuiorũ ſubſidio in Bataui㠁inferre ſolebant, inuectione, plus quàm quinquaginta millionũ annuè in omni cõmerciorum genere, iacturam facere: vt interim nihil dicam de cambio, è quo incredibile ipſis antè compendium oriebatur, ſed iam ob inhibitionem hanc penitus intercidit.

Non ita dudum eſt, cùm viro, & ætatis ſatis prouectæ, & rerum Belgicarũ cumprimis gnaro narrante audiui, hanc fluuiorũ clauſuram, & cõmerciorum inhibitionem vſq; eò hoſti graue videri, vt biennium non ſit effluxurum, quin ſuo ſit à Rege pacẽ, neceſſitate cõpulſus, petiturus. etenim neceſſarium nauibus cõpingendis atque inſtruẽdis ferrum, & lignũ quernum iam paulatim apud illum deficiunt & rareſcũt: his enim ſi careat, nec illas nouas adornare, nec collapſas inſtaurare, nec molendina cõſtruere poterit. molẽdina enim ni ſint, nec prouinciã ſuam ab aquarum eluuione tueri, nec agros, & prata (è quibus tamen potiſſimũ colligunt prouentum) aquis identidẽ innatãtia exſiccare valebit. Nã quiſquis bellicas atq; alias id genus naues, & molẽdina eum è ligno molliori aut Noruegico cõſtructurum credit, errat grauiſſimè, & rẽ prorſus impoſſibilẽ ſuo ſibi in cerebro cõminiſcitur. Iam liquet, illum & Rheni & Moſæ nauigatione deturbatum, nullũ poſſe aliunde ferrum durius, nullum robur ilignum

acci-

accipere. nauibus autẽ deficientibus, vniuersa concidet cum exteris negotiatio, in qua tamen potissimus eius situs est quæstus;& sine molendinis, ab aquarum inundatione agros suos indẽnes præstare nequibit. Vnde fiet, vt bello diutiùs ferendo futurus nõ sit par, & quæ ei tolerando indicta sunt grauamina, indies difficiliùs & ægriùs sint pensitanda, quin & noua inuehẽda. Adeò vt, si Rex hac Licẽtiarum, & per dicta flumina nauigationis suspẽsione, bellum dũtaxat defensiuum gerendo, de illatiuo ne cogitans quidẽ, vti pergat, eas sit Batauos in angustias redacturus, vt, quas ijs volet præscribere pacis conditiones, necesse eos sit admittere necessitate cõpulsos. Is quoque est vniuersorum Hollandicarũ rerum peritorũ sensus & opinio. Etenim, si potissima commerciorum parte frustrẽtur; & interim onera agris, domibus, mercibus, rebus vsu cõsumptibilibus, annuis censibus imposita nihilo eos seciùs pẽdere oporteat, quẽ ijs futurũ putas sensum? equidẽ his eos ferendis impares fore autumo. Intuere, quæso, insulas Zelandicas. Harum incolæ, quò annuum tempore suo grauamen rite pendant, iã inde ab anno vicesimo primo vsq; in præsentem, necessariã adhoc pecuniam mutuari ab alijs persoluto fœnore sunt coacti. factũ hinc, vt æs alienũ intolerabile contraxerint, ac quotannis octingẽta & plura florenorũ millia primis mutuatoribus, vsuræ

vſuræ nomine incredibili cũ diſpendio pẽdere cogãtur. de ſorte quid ergo fiet? Atq; hæc quidẽ in Zelãdia. Hollãdiæ verò Comitatus ſupra tres argẽti milliones, pecuniẹ aliàs acceptæ effuſoribus, in fœnus annuè perſoluit. Sic & aliẹ prouinciæ, pro neceſſitatis ratione, vt oneribus annuis ferẽdis pares ſint, pecuniã mutuam ſumere debuere, cuius vſurã mutuantibus repẽdunt. Adeò vt iã onera nec increſcere, nec vlteriùs aſcẽdere queant. Quamobrẽ Zelandi, ſuam neceſſitatẽ minimè diſſimulantes, & rem penitiùs inſpicientes, ingenuè confitentur, ſolita ni onera decreſcãt, & grauamina finẽ habeant, haud dubiè fore breui, vt prouinciales ſub onere fatiſcẽtes tandẽ ſuccumbant, concidãt, & neceſſarius vitæ trahendæ ſuccus penitus exhauriatur. Idẽ quoque de ſuis ſentit Friſia, Groninga, Gelria, Tranſiſalania: nec id diffitetur in ſuis Hollãdia.

Imò verò, cùm quidquid hactenus grauari potuit, grauatũ ſit, plurimorum ſentẽtia eſt, annuum prouinciarum ſingularũ prouẽtum non mediocriter decreuiſſe, nec tantum eas quãtum priùs vectigal recipere. etenim adeò illic ſinguli in re domeſtica iã facti ſunt frugales, vt à ſolita lautitia & ſplendore nimium quantum deciderint: qui enim melioris notæ cereuiſiam priùs bibebant, iam ſecundariâ, vt prioris grauamẽ ſubire non cogantur, ſunt cõtenti. eadem de cauſa abſtinent vino, & quodammodo fiunt

ab-

abstemij, cùm priùs id in mensis admodū esset frequens: luculentos non struunt focos, sed tātùm necessarios: de auibus altilibus, & capis mēsæ inferendis rara iam fit mētio. Eadem frugalitas & reliquis in rebus locū habet. Hęc proinde in causa est, vt penè dimidio minor iam sit opidorū singulorum prouētus, quàm fuit hactenus. Ædium quoque, & agrorum, tum vendendorum, tum locandorum, pretiū tertia propè parte est imminutū. Vnde necessariò consequitur, vt, cùm harū & illarum pretium opidò decreuerit, etiā, quod ijs ad æstimationē & valorem taxatis impositum iam suprà cōmemoraui tributum, decrescat. Idē & in omnibus rebus comestibilibus & vsu consumptibilibus vsu venire vir ille aiebat; atq; hinc fieri, vt, cùm antè, dum onera vtcumq; erāt tolerabilia, ciues quilibet lautiùs viuerent, iā in parsimonia vectigal constituant, & ne quarta quidē parte tot vini & cereuisiæ pocula bibantur, quot anteà, solùm vt impositū ab Ordinibus vtriq; liquori tributum hac ratione euitent; cōuiuia quoq; & epulæ inter amicos ac cōsanguineos iā rariùs instituantur, ne escis & dapibus quibuslibet annexū vectigal persoluere teneantur. Hinc fit, patrios ob enorme hoc grauamen prouētus ac census tenuiores iam esse, quàm dū mediocre & tolerabile tributū dabatur: etenim nemo non frugalitatē colit, & viuit quā potest tenuissimè, minoribus,

bus, quàm priùs fuiſſet, ædibus, ſupellectile tenuiore, veſtibus modeſtioribus, cibis ſecũdarijs & minùs lautis contentus; omnẽ in his & illis reſecans ſuperfluitatẽ, & nihil quo commodè carere poteſt, ac non neceſſariũ vſurpans, veritus ne cõmunium vectigalium onera ſubire cogatur. quæ vſq; eò iam increuere, vt multis in locis qui ex annuis ſuis viuunt prouentibus & cẽſibus, penè duas eorũ tertias Ordinibus ad cõmune patriæ bonum, & hoſtis communis depreſſionem, pendant, vna dumtaxat in vſum proprium parte reſeruatâ.

Hoc quoque certum, primo huius mercimoniorũ interdictionis, & fluminum dictorum cõcluſionis anno, maximo Batauos impendẽtis ſibi mali ac damni metu correptos fuiſſe, neſciẽtes quò ſeſe aut verterent, aut merces ſuas aueherent; vnde augurabantur fore, vt extremum res ſua in diſcrimen veniret, mercimoniorũ omne cum exteris genus intercideret. vſque dum, noſtrorum conniuentia rationes ac modos adinuenere, quibus ex hac inhibitione exoriens detrimentum quadam tenus reſarciunt, dũ liberè, & ſine vllo capitis aut merciũ periculo, Luſitaniã, Cantabriam, Catalauniam, Valentiam, Murciam, & prouincias alias Hiſpano ſuppoſitas imperio nauibus ſuis, quibus & patrias & exteras merces imponunt, frequentant. Etenim omnium regnorum, prouinciarũ, & liberarum

ciuitatum inſignia in nauibus habent; imò omnium magiſtratuum, Secretariorum, regnorum & prouinciarum Europæarum nomina & ſigilla mentiuntur. Vbi ergo in Hiſpaniam, aut Hiſpanici iuris prouincias appellunt, eas tam nauium, quàm mercium cõuectarum litteras teſtimoniales proferunt, quas loco & rei præſenti expedire cēſent; Gallorum, Italorum, Hamburgenſium, Lubecenſium, cedanenſium, & aliorum id genus locorum, quæ libera ſunt, hunc in vſum nomina mutuantes. quod quo minori fiat cum periculo, ſemper inter ſocios nauales & nautas, Italos, Germanos, Gallos nõnullos habent. vt etiã tutiùs, non parcunt auro, ad emporiorum & vrbium maritimarum, ad quas cum mercibus appellunt, præfectos inescãdos. His autē mercibus Germanica aut Gallica ſigna appendunt, tamquam ſi è Germania aut Gallia primùm venirent, cùm in Hollandia tamen potiſſimùm natæ ſint. E qua re quantum quæſtum faciant, dici non poteſt.

Adhæc Italiã, Aſiam & Ægyptum plus ſolito iam frequentant, cùm per vniuerſas Italiæ prouincias illas nunc merces cõuehant, quas in Belgium Regium ſolebant aliàs inferre, etiã butyrum, caſeum, piſces: vt, eſto ob Licẽtias interdictas trium millionũ iacturam faciant, iam plus quàm duos è mercibus, quas tum in Hiſpaniam, tum in alias iuris Hiſpanici regiones importãt, haud

haud difficulter colligant. Vnde mihi verisimile sit, nisi huic per Regios malo occurratur, fore vt ante annum, etiam supra tres milliones, hoc è commercio Batauici Ordines conficiant.

Itaque nisi omne hoc commercium suis Hispania prouincijs proscribat & arceat, fateamur oportet, per hãc fluuiorum occlusioné, & commerciorum inhibitionem, æquè magnam penè nos hosti opum colligendarũ & potentiæ corroborandæ occasionem dedisse, quàm habebat priùs. Minimè tolerandum, hæc Hispaniã tolerare & permittere, cùm sua in potestate & arbitrio habeat vndiquaque hosté excludere. Si ipse Gaditani freti angustias possideret, è centum Hispanorum nauibus vna eas indénis non pertransiret: si Hispanã haberet potentiam, annus nõ elaberetur, quin tutum & liberum maris totius haberet imperium. quod quãdiu Hispani sibi vindicare negligunt, nullam aut illius edomandi, aut potentiæ frangendæ, aut maritimi cõmercij (à quo solo omnis ipsius incolumitas, opes & potentia dependent) disturbandi spé modumúe conspicio. Quis posterorum credat, Hispaniã hæc omnia præsecare & impedire valenté, se ne mouisse quidem? quis item credat, Hispaniã, cùm sine vllo Regij ærarij sensu, centum & quinquaginta, imò & ducentarũ instruere, ac de rebus necessarijs mẽstruoq; stipédio prouidere, & sustentare nauiũ classem pos-

ſet,qua in vniuerſum mare dominaretur, & omnē confœderatarum prouinciarum mari negotiationem diſturbaret, conſilio huic auſcultare,& ſuppetijs oblatis vti noluiſſe? quis hominum,hoc vt credat,à ſeipſo impetret? aut Regios adminiſtros & cōſiliarios diuturni & cruenti belli Belgici finem videre velle? Hac in re me cæcutire ingenuè confiteor, & Hiſpanienſi in conſilio prorſus nihil videre. Quid prodeſt, Licentias & commercia in ſolo Belgio ſuſtuliſſe, (vnde ſumma rerum omnium ad victum ſpectantium conſecuta caritas, & ciuium lucrum magna ex parte collapſum eſt, magna cum morigerarum prouinciarum oppreſſione, indigentia,& gemitu) ſi, tecta illa commercij in Hiſpania,& inſulis,regnis,prouincijs ab Hiſpania dependentibus, conceſſione & tolerantia, maius Batauis ad prouentus ſuos pecuniarios non parum inaugendos, oſtium pandimus? ita fit,vt fidelibus Regis vaſallis,quod ante fluminum occluſionē colligebant, lucellum iam eripiatur, hoſti verò via ad nō minorē iam,quàm priùs, quæſtum faciendum ſternatur. Quis, quæſo,myſterium hoc intelligat? Batau i omnigenas patrias merces, & mechanica opera impunè,nobis conſcijs,Ligurnum in Italia,Maſſiliam & Baionam in Gallia, Fredericopolim in Holſatia vehunt; atque inde Italicis, Gallicis & Germanicis nauibus,quin & proprijs,merces
patrias

patrias imponentes, rectâ Hiſpaniam petunt; vbi eas inſigni ſuo cum emolumento, ac notabili vectigalium patriorum, & pecuniarij prouentus incremento diuendunt. Et nos hæc videntes, non plus mouemur, quàm ſi ad nos minimè ſpectarent. quis æquo hæc animo ferat?

Varij autem ſunt huic malo quamprimùm occurrendi modi. Primus, ſi omnibus prouinciarum & vrbium præfectis, & alijs iuſtitiæ adminiſtris ſub pœna amiſſionis bonorum, dignitatum, & capitis Rex interdicat, ne quis eorum vllas, quorumque demum titulo, nomine aut colore miſſas, naues aut merces Batauas in Hiſpaniam appellere patiatur: eius verò, qui ſecùs feciſſe, & conniuentia aliqua vſus fuiſſe deprehendetur, bona & facultates omnes delatori aſſignet. Secundus, ſi maris ſibi imperium Rex comparet, in quo ſolo belli finis, & plena omnium Hiſpanicæ potentiæ æmulorum debellatio ſita ſunt. Vtinam Hiſpania hæc credat & ſequatur! Solus executioni ea mandare potis eſt Deus: vt enim Concilium Hiſpanicum rem promoueat, opto quidem; ſed vtrùm verè ac ſolidè id ſperare quis poſſit, prorſus neſcio. Tametſi ſuas ipſum obturatas hactenus aures, & clauſos oculos, aperire iam aliquatenus incipiat. Det qui dare poteſt omnia, & Regum corda manibus ſuis verſat, & impellit quò lubuerit, Deus, vt eos magis indies aperiat, quò tandem ali-

quando optatum belli finem conſpiciamus.

PELAG. Vlteriùs porrò moleſtus tibi eſſe nolo, ſummas potiùs ex animo gratias ago; ſimulq́ue boni omnis datorem Deum rogo, huius vt tibi laboris mercedem rependat, & doctrinæ ac conſiliorum tuorum amplectendorum deſiderium animis inſpiret illorum, qui totius reip. bonum, diuini nominis gloriam, regni huius proſperitatem, conſilio & opere promouere poſſunt. Itaq́ue me æternum obſequio tuo deuotum habe.

REFORMATA APOCALYPSIS BATAVICA.

Beneuole Lector.

PRIORI Colloquio Batauicam maritare placuit Apocalypsin, vt sibi per omnia pares. quod tibi coniugium, spero, minimè displicebit. In tui ergo gratiam iunxi, vt & meliùs vnum alteri componas, & commodiùs per viam tecum feras; vt, quod tum hæc, tum temporis longitudo adfert tædium, in curru æquè ac naui, isthæc legendo leues, & cum duobus hisce prudentibus viris subinde colloquendo otium fallas, animumque oblectes.

HOLLANDI CVIVSDAM AD AMICVM EPISTOLA.

INSVPERABILIS nostra potentia per vniuersum terrarum orbem iam innotuit: generosa nostra audacia & animositas per omnes eiusdem angulos sese diffudit. Sua Romani eousque arma non produxerunt,

xerũt,quouſque nos noſtra.Orbem,quà patet, ſæpiſſimè euauigauimus; nullum vt ſuis ſol angulum radijs perluſtret, quem noſtra non luſtrarint,non viderint arma.

Orientalis Indiæ prouincias omnes percurrimus. varijs illius in inſulis arces & propugnacula noſtra magna cum induſtria condidimus; vt iam non modicam maximarum inſularum, in quibus Indorum potentia potiſſimùm ſita eſt,partem noſtræ poteſtati aſſeruerimus.

Hinc factum, vt ferè omnes orbis terrarum Reges ac Principes opem noſtram efflagitent; vt, quemadmodum olim Romani rerum domini,armatas illis leges præſcribere & imponere,in noſtro ſit arbitrio.

Gallia plus quàm ſemel potẽtiæ noſtræ ſuppetias petijt, & felicem earum ſucceſſum, in expeditione cõtra Soubiſium & alios ſuſcepta ſenſit.Ipſi quoq; Reformati Rupellani & Mõtalbanenſes,non abhinc multis annis, aduerſus Regem ſuum dum inſurgũt, ope noſtra ſuffulti, edomari non potuere. Teſtari vt poſſit Gallia,illuc ſuam inclinare proſperitatem, vbi noſtra ſunt arma;& illi victoriam parti accedere, cui nobis pro temporis oportunitate cum armis noſtris lubet accedere.

Anglorum Rex in Regia ſua aduerſum Hiſpanos expeditione arma &naues noſtras expetijt; quibus ſi caruiſſet, nullam ſibi de Hi-

ſpana potentia victoriam audebat polliceri.

Daniæ item Rex, generalis Inferioris Saxoniæ diſtrictus copiarum imperator denominatus, ſæpiſſimè noſtra requiſiuit ſubſidia; in his namque ſpem omnem reponebat ſuam : vnde etiam hæc illi magna cum fide ſubmiſimus.

Brandeburgicus Elector iam dudum à Neoburgico Hiſpanis armis ſuffulto, fortunata noſtra arma impedimento nî fuiſſent, debellatus, & toto Iuliacenſi, Cliuio & Montenſi dominio eiectus eſſet.

Comes Palatinus ſuaſu, conſilio & auſpicijs noſtris Bohemicam ſibi coronam impoſuit ; & eamdem etiamnum haberet, quin & Imperatoriam pacificè iam poſſideret, ſi modò Bohemi ante Pragam noſtra ſequi conſilia, & animoſitatem imitari bellicam voluiſſent.

Gades, Hiſpaniæ fauces & introitum, per quem olim Mauri in eam penetrarunt, & plus ſeptingentis annis poſſederunt, noſtris Comes Eſſexius auſpicijs inuaſit & expugnauit ; Anglorumque etiamnum in poteſtate forent, ſi ibidem is, (vt conſulebamus) arce erectâſe communire voluiſſet.

Potens Venetorum Reſpublica, noſtra, dum aduerſus Pontificē Paulum V. ac deinde FERDINANDVM, modò Imperatorem, bellum gereret, ſubſidia expoſcere ſibi turpe non duxit.

Sabaudiæ Dux, heros ille indefatigabilis, noſtro-

noſtrorum ope armorum, cum varijs Hiſpanorum exercitibus, quibus S. Germani Marchio, & Feriæ Dux cum poteſtate præerant, feliciter conflixit, & ſuperior euaſit. Iam dudum is Genuam, vti & Mediolanum, & Neapolitanum ac Siciliæ regna inuaſiſſet, ſi noſtrorum ductorum conſilijs Galli acquieſcere, & hebdomade quæ Paſchalia præcurrit feſta, montes penetrare voluiſſent. Genua quippe nullo commeatu, & paucis ad defenſionem neceſſarijs rebus tūc erat inſtructa. Certum verò eſt, ab illa vniuerſæ imperium Italiæ, tamquam ab ancora nauim, ab arce & propugnaculis vrbem, à duce ſuo exercitum, tunc pependiſſe. Etenim Mediolanum præſidiarios pauciſſimos habebat, Siciliam & Neapolitanum regnum qui defenderent, aliò conceſſerant. vt à ſola Genua, Italia vniuerſa, velut à filo penderet.

Moſcus cum Poloniæ Rege bello decertans, copijs noſtris adſcribat oportet, quòd victor euaſerit, & ſua conſeruarit.

Sueciæ Rex, noſtris & armis & ductu fortunatiſſimè cum Polonis certauit, ac Rigam locaque vicina illis ademit.

Gabor Bethlinus animoſam & generoſam ſuam aduerſus Imperatorem FERDINANDVM initam expeditionem, noſtro ſuaſu ac milite, felicem ad exitum conduxit.

Magnus Turcarum Dominus noſtras, ad inimico-

micorum ſuorum incurſiones coërcendas, etiam naues expetiuit.

Potens & longè diſſitus Perſarum Rex, in Armuzia ſibi vindicanda, noſtros in belli ſocietatem adſciuit.

Braſilij vni noſtræ potentiæ attribuant, quòd, Hiſpanicæ ſeruitutis excuſſo iugo, priſtinæ libertati ſe, præter omnium exſpectationem & opinionem, viderint reſtitutos.

Americanis, Perüanis, Mexicanis, noſtris ipſi claſſibus ſæpè timorem incuſſimus.

Magnus Mogoris Monarcha noſtram ambiuit amicitiam & fœdus. ambiuit & potentiſſimus Sinarum Rex, & Iaponiorum dynarcha, nec non vniuerſi omnium Orientalis Indiæ prouinciarum & inſularum Reguli.

Maris porro imperiũ penes nos eſſe, in confeſſo eſt, & notius quàm vt opus ſit dicere. Nullas quippe quis ab hominum memoria, omni retro ætate, audiat, vel in omnibus omnium gentium hiſtorijs legat, generoſiores, audaciores, ſimul & feliciores expeditiones, quã noſtrates paucis abhinc annis ſuſcepere; vt qui ſoli plus viarum terra marique confecimus, quàm omnes aliorum regnorum nautæ.

Adhæc, plus quinque & quinquaginta annis terra marique, toto penè terrarũ orbe, aduerſus Regum omnium potentiſſimum iuxtà ac maximum, bello certauimus. Vicimus multa, amiſimus

ſimus nihil, non modicam terræ partem, tam hiſce in prouincijs, quàm in India, ei ademimus, quam etiamnum in poteſtate noſtra habemus; claſſes eius plus quàm ſemel aut diſturbauimus, aut intercepimus, vrbes & prouincias illius expugnauimus, exercitus varios fudimus, eumq́; ad inducias, & ab armis ceſſationē à nobis expoſcendā compulimus; quas, Belgicarum prouinciarum vaſtationem & deſolationem ſolùm miſerati, Regum Galliæ & Britanniæ interuentione & ſuaſu, ei denegare non potuimus.

Quamquam fateri me oportet, non eam noſtram fuiſſe potentiam, vt ea ſola tam potenti validoque Regi, tot per annos reſiſtere potuiſſet. hac enim de cauſa, vicinorum Regum, Proteſtantium Imperij Principum, & Sereniſſimæ Venetorum Reipubl. auxilia implorauimus; vt vnitis iunctiſq́ue viribus, atque vnanimi conatu, communi Europæ totius hoſti nos opponeremus, eiuſq́ue potentiam & vires ita acciderémus, vt is ad Galliam, Britanniam, Germaniam, & Venetos impetendos impotens fieret, & ſua continere arma domi cogeretur. Nec multo ad hoc apud exteros opus fuit conatu aut molimine, cùm Hiſpana potentia in omnium Regum ac Monarcharū oculis ſudes ſit & cordolium.

Et hæc omnia fortunatiſſimis ductorum noſtrorum, Auriacorum Principum, Gulielmi & Mauricij Naſſouiorum, iuratiſſimorum Hiſpanicæ,

nicæ, nec non Auſtriacæ potentiæ hoſtium, auſpicijs ductuque geſſimus; idque, vt in naturalem & innatam homini libertatem nos vindicaremus, & ab Hiſpanico dominatu & Inquiſitione liberi viueremus.

Sed potiſſima armorum induendorum cauſa, fuit religionis noſtræ propugnatio. in ea quippe cupimus eſſe liberi, & talem deligere, qualem cuique noſtrûm & volũtatis inſtinctus, & internus Domini ſpiritus præ alia amplectẽdam ſuaderet; & plenam vnicuique libertatem dari, eam fidem & religionem aſſumendi, quæ ei ad ſalutem conſequendam optima videretur, neminem ad certam & determinatam aliquam deligendam compellendo. In quo, tum naturam, tum Deum ipſum ſumus imitati, qui liberum nobis dedit arbitrium atq; optionem, ignemque & aquam ſimul appoſuit, vt ad alterutrum, prout liberet, manum extendamus, nulla verò voluntati vis inferatur.

Et licet in eadem, qua Hiſpani fide, iam inde à multis ſæculis, continuâ patrum ſucceſſione, nati eſſemus; & per aliquot annorum centurias, in eadem quoque, ſponte, non repugnanter, nec inuiti, vixiſſemus; innatæ tamen hominibus libertati videbatur aduerſari, à quoquam nos compelli, in eadem vt perſeueraremus, viueremus & moreremur: cùm fidei & aſſumptionem & conſeruationem homini liberam &

à nullo dependentem fecerit Deus, hæcq; ipsa eiusdem sit donum. ad quam proinde neminem par sit cogi, sed vnicuique liberum relinqui, vt in, cuius libuerit, illius verba iuret.

Vt igitur libertatem nostram, hominibus diuinitus datam, conseruaremus, aduersus omnium orbe toto Regum potentissimum, insigni cum audacia, armis nobis agendum putauimus; causæ nostræ æquitate freti, dum nimirum innatam nobis & à Deo datam libertatem propugnamus.

Atque ideo anno MDLXXVII. Ianuarij die XXII. Harlemiensibus solenni iuramento promisimus, vt, quotquot tum è sæcularibus, tum Ecclesiasticis in Romanæ religionis exercitio permanere vellent; nullum in eo à quopiam impedimentum paterentur. Artic. namque I. pactorum sic dicitur: *Quantum ad caput religionis; promittimus fore, vt Romanæ religionis exercitium Harlemij, tam inter sæculares, quàm Ecclesiasticos & Religiosos, tam viros quàm fæminas, qui eamdem exercere volent, futurum sit liberum & sine vllo impedimento, turbatione & iniuria exercendũ.* Hæc nostra sunt verba. In quibus mox sequitur: *Quisquis verò Romanæ huic religioni iniuriam, turbelam, aut impedimentum aliquod attulerit, grauissimas tamquam publicæ quietis perturbator, sine vlla conniuentia vel indulgentia, pœnas dabit.*

Eodem anno, XXII. Martij mensis, idipsum

Goe-

Goesanis & Sutbeuerlandijs, iureiurando art. 1. promisimus.

Idem in quinto conuentionis cum Vltraiectinis anno MDLXXIX. initæ articulo expressum legere est. Artic. verò 13. sic: *Vnicuique in sua religione liberum erit exercitium; ac eiusdem causa, nullus aliquod à quoquam grauamen, maleficium, aut vexationem patietur.*

Quin etiam apertiori Amsterodamensibus, anno MDLXXVIII. 8. Februarij die, promisso cauimus, dum artic. 1. dicimus: *In Amsterodadamensi ciuitate, & omnibus eius territorij terminis ac dominio, nulla præter quàm antiqua Romana prædicabitur, docebitur, exercebitur religio.*

In conuentione autem Grauiensi anno MDCII. peracta, sic art. 1. pollitici sumus: *Omnes Religiosi, tam viri quàm feminæ, nullo excepto; item omnes Catholici ciues & inquilini, in Catholicæ religionis exercitio pacificè agere & manere permittuntor.*

Hæc autem fecimus, vt vnicuiq; plenam in fide assumenda libertatem faceremus. quamquam me fateri necesse sit, his nos promissis, esto iureiurando firmatis, minimè stetisse; verùm, non tam deliberata nostra voluntate, quàm seditiosorum & perduellium quorumdam instinctu & suasu. Putem autem, si addictam Catholicis fidem seruassemus, futurum fuisse, vt iam penè omnibus hostibus nostris superio-

periores essemus. Sed vti in multorum capitum ac Senatorum concilio fieri videmus, vt sæpè vnus alterius sententiæ aut opinioni acquiescere recuset; & quemadmodum medios inter maris fluctus constituta nauis, non rarò, gubernatore etiam reluctante & inuito, vndarum & ventorum vi ad littus hostile eiicitur; ita & in Republica, quæ diuersorum capitum & opinionum colluuie constat, & in qua sæpè magis ex aliqua necessitate, ac vi exteriùs admota, & coacta inconsiderantia, quàm maturis, deliberatis ac præmeditatis consiliis homines aguntur, vsu venire constat.

Quod quamuis homini, qui futura & euentura vsquequaque ad plenum præuidere nequit, vt etiam addicta & promissa sua non rarò immutare cogatur, ignoscendum sit; attamen citra extremam & summam id necessitatem fieri non debet. quæ vbi premit & vrget, priùs alteri promissa ad aliquod erunt tempus seponenda, cùm videlicet ea, sine notabili reip. incommodo & damno, præstari non poterunt. Atque hoc in casu, eorum violationem & infractionem vir prudens ignoscat oportet, cùm maior nimirum vis iis & potentia præualeat.

Vnde etiam contingit, vt dum maius non exspectantibus nobis deforis bonum aduenit, priora minoris boni promissa, illius causâ violemus. Etenim si maius illud præuidissemus,

minus non promisissemus; præsertim cùm vi armorum quædam spondere & iurare compellimur, quæ postea, è casibus & euentis quibusdam inexspectatis, notamus vniuerso & communi reip. bono repugnare. Cumq́; maius bonum minori prævalere debeat, & inexspectatum nos damnum vrgeat; fas & æquum videatur, priores sponsiones, publici causa boni, in quid melius commutare.

Hæc vt ita se habeant, negare tamen non possum, maiorem nos Catholicis Romanis libertatem concedere oportuisse; atque adeò illi, quam semper spectauimus & iactauimus, religionis libertati repugnare, quempiam aut ad certam aliquam fidem assumendam, aut ab ea quam aliàs assumpsit recedendum cogere, illius causa eum persequi, & damnum inferre; aut in eiusdem professione & exercitio, quæ vnicuique ita esse libera debet, nullus vt in sua turbandus sit, perturbare; aut conscientiæ alicuius vim inferre; aut denique maiorem exercere velle dominatum, quàm in homines ipse exerceat Deus.

Et sanè petentibus à me Catholicis nostris inquilinis, quanam in re conscientiæ libertas sita sit; an non in libera eius religionis, quam mens & instinctus noster interior optimam nobis esse contestatur, delectione? quid respondeam nescio. Vti nec rogantibus in quo

nos

nos ab Hiſpanis quoad religionum exercitia inhibenda diſcrepemus.

Hiſpani namque Reformatæ religionis exercitium prohibent: nos antiquæ Romanæ Catholicæ, in qua omnes maiores noſtri iam inde à multis ſæculis & vixere & mortui ſunt, vſum proſcribimus.

Illi ſupplicia infligunt peregrinas religiones profitentibus: nos qui aliam præterquam noſtram, & maximè qui Romanam profitentur, mulctamus. Quod dum facimus, omnes retrò maiores noſtros damnamus, ipſoſque in poſteris caſtigamus.

Illi graues & diras leges ferunt in eos, qui ſecum in fide non conſpirant: nos immanium in Romanæ Religionis, etiam in cellariis & ſpeluncis ſub terra, & ſolariis cultores, edictorum ferendorum finem nullum facimus. Si maiores noſtri à morte reſurgerent, & à fide ſua primogenia & cum lacte nutricis imbibita deſciſcere nollent, neſcio an non & illos decretis noſtris premeremus.

Illi libros omnes, quibus peregrina religio traditur, proſcribunt: nos in eos qui Romanæ fidei libros, aut legunt, aut domi ſeruant grauiter animaduertimus. timeo ſanè vt & in maiores noſtros hac de cauſa animaduerteremus.

Illi regnis & prouinciis ſuis vniuerſos excludunt qui externam fidem ſequuntur: nos

Romanæ fidei cultores à quolibet magiſtratu, dignitate & munere publico arcemus. neſcio an non & patres noſtros, ſi in viuis eſſent, tamquam Romanæ fidei defenſores & propugnatores, arceremus.

Plenis faucibus, ſexcentis libris, & nuſquam non, Hiſpaniarum Regem ſugillamus, quòd nos ad fidem ſuſceptam deſerendam compellere voluerit, aut eam quam animus nobis dictabat, ſuſcipere vetuerit. Et nos, Romanos fidei ſuæ veteri renuntiare cogimus, cùm tamen nos fateri oporteat, Romanam ſupra nongentos apud nos annos viguiſſe, antequam nupera Reformatio iam inde è Germania & Gallia ad nos commigraſſet.

Sciſcitantur à nobis (nec immeritò) quo eos iure nouem ſæculorum poſſeſſione deturbemus, cùm ipſi quinquagenaria Reformationis noſtræ poſſeſſione ab Hiſpanis deturbari ac deiici nolimus? Quid ipſis ad hoc replicem, aliud non habeo, quàm, noſtrum id Statum ſuo à nobis iure depoſcere.

Regerunt hi rurſus, Hiſpanorum quoque in his prouinciis Statum popoſciſſe, nulla vt alia, præterquam ſua, religio permitteretur. Hanc tamen illationem plurimis olim libris impugnauimus, & quæ ipſi nunc vſurpamus axiomata (cùm aliud quod reſpondeamus, nobis non ſuppeditet, quàm è Status noſtri re non vi-

videri, Romanæ exercitium religionis permitti) hactenus armis tum patriis, tum externis oppugnauimus.

Præter hæc nobis obiiciunt, Romanæ fidei hisce in locis cultores, primos aduersus Hispanum arma induisse, primos suo profugum Auriacum gremio suscepisse, eique tutum apud se asylum præbuisse. Id quidem nos confiteri oportet, licet suæ illis exercitium religionis prohibeamus, qui tum auro, tum vita primi libertatis nostræ, qua modò pacificè fruimur, assertores & vindices exstitere.

Ad Romanam quidem religionem prouinciis nostris eliminandam, aliqua nos mouere ratio videtur: ne videlicet huius efficaciâ, vi, & exteriore cæremoniarum illius splendore (vti Aduocatus subveritus dicere solebat) allecti & inescati carissimi populares nostri, tandem ad illam accedant; itaque religionis huius, quam & Hispani profitentur, potentiâ & adminiculo, pristini sui Principis, Hispaniarum Regis, recordentur, & erga eum animis propendere incipiant. Quod certè cum patria libertate, quæ nihil Hispanicum fert, & omnem erga eos affectum excludit, nimium quantum pugnaret.

Sed, vt Romanos missos faciamus, quid de confratribus nostris Arminianis, fidis nostris commilitonibus, veris patriæ libertatis no-

biſcum zelatoribus, & aduerſus omnem Hiſpanorum potentiam propugnatoribus dicemus? quæ nobis dictat aut ſuadet ratio, vt liberum illis religionis exercitium permittere nolimus, ſed omnem conſcientiæ libertatem, & liberam fidei ſuſceptionem ac profeſſionem auferamus, Gommaro noſtro ac Synodo Dordracenæ eos inuitos ſubſcribere compellentes?

Hiſpanos inauditæ & intolerabilis cuiuſdam tyrannidis paſſim ad rauim vſque accuſauimus, quòd nos inuitos Tridentini Concilij decretis ſubſcribere cõpellerent: & ipſi iam, non Catholicos ſolùm, ſed & fidos & cooperatores noſtros Arminianos, in Dordracenam Synodum vt iurent, eamque propugnent, cogere volumus. Quin & eò noſtra aſcendit ſuperbia & præſumptio, vt & Henrico Naſſouio Auriaco Principi eam, quò in illam iuret, obtrudere non vereamur. Ecquis audaciorem impudentioremúe ſtuporem vidit? quid ad hæc reſpondere poſſumus?

Nec hîc ſtetimus. ſed vlteriùs progreſſi, generalem prouinciarum Syndicum & Aduocatum, Arminianorum coryphæum, vnicum patriæ zelatorem, tutorem ac parentem; ſincerum & natiuum, non fucatum aut fictum Hollandum, iuratiſſimum Hiſpani nominis hoſtem (cuius vnius ſapienti ac ſolerti conſilio

lio aſtuque, cùm ad extremum noſtra iam redacta eſſet potentia, & annuum fœnus ita graue, vt omnes noſtri prouentus ei ferendo nimis quàm impares eſſent; factum eſt, vt potentiſſimus Hiſpaniarũ Rex primus inducias, & ab armis ceſſationem à nobis expetierit) neci dedimus, & infami carnificis ſecuri ſubiecimus. idque potiſſimùm exterorum Gommariſtarum, iuratiſſimorum communis prouinciarum noſtrarum boni hoſtium (qui iam inde è Brabantinis partibus in has profugi, homines de triuio ac terræ filij cùm eſſent, poſt paucolorum annorum dignitatem & magiſtratum, iam ſupra octoginta, etiam centum, in annos ſingulos de prouentibus ſuis florenorum millia percipiunt) ſuaſu & inſtinctu. Vndenam verò hi ita rem fecerint, & hæc illis ſors allapſa ſit, aliis examinandum relinquo.

Quid ergo Arminianis, meritò de iſtac iniuria conquerentibus, reſpondeamus? quam vel veroſimilem facti huius rationem illis reddamus? præſertim cùm eos & omni magiſtratu excluſerimus, illorumque in locum, in omnibus propè ciuitatibus, ſartores, cerdones, veteramentarios, piſcatores, fabros ferrarios, cæmentarios, ſcriniarios, pollinctores, alioſq; eius notæ triobolares gnathones, quibus res anguſta domi, ſpes nulla foris, ſubſtituerimus. hos verò vrbiũ gubernaculo admouimus, nullo alio

 nomi-

nomine commendabiles, quàm quòd Gommarum mordicus tuerentur; vt horum operâ & adminiculo executioni mandaremus, quod perduellibus & publicæ quietis perturbatoribus nonnullis alluberet: probè gnari, mendiculos hoſce Gommariſticos magiſtratus nobis per omnia ad nutum, ſeu cereos, fore obſequentiſſimos. neque enim eos aliud fuiſſe dicas, quàm impium quoddam & nefarium eorum, quibus propoſitum erat res nouare, patriæ libertatem tanto ſanguine comparatam peſſumdare & euertere, eamque noui cuiuſdam Comitis ſeruituti & dominatui denuo ſubiicere, inſtrumentum.

Etenim, non ſine inſigni fortitudinis noſtræ labe, fateamur oportet, nullum ab hominum memoria Dominum, Comitem, Principem aut Regem, tantũ in haſce prouincias earumq́; inquilinos iuris habuiſſe aut vſurpaſſe, quantũ nuperus habuit Auriacus Princeps Mauritius. Imò nullum, etiam inter Hiſpaniæ Reges, futurum, qui adeò liberè, audacter, hominem nullum timendo, omnia noſtra priuilegia, nullo excepto, ſit (vt ipſe) abrogaturus: adeò vt abſolutius & maius in haſce prouincias imperium habuerit, quàm ſuperiorum Principum ac Comitum vllus.

Illo enim viuo, poſt Aduocati noſtri mortem, velut incarcerati & mures in muſcipula

vixi-

viximus. Etenim, toto induciarum tempore, adeò omnes terræ limites & acceſſiones nouis munitionibus & arcibus, in quas multi florenorum milliones ſunt impenſi, firmauit, validíque militum præſidiis communiuit (quos item ad minimum oculorum nutum paratiſſimos, ſibique addictiſſimos, & per omnia habuit obſequentiſſimos) vt illius vnius imperio, quòd arma & propugnacula prouinciarum omnia ſua in poteſtate haberet, cunctá regerentur,& nos inuitos licet, ſibi parêre cogeret.

Qui puro religionis & fidei zelo hæc eum feciſſe putat, næ ille ſublimi eius ingenio & ſpiritui iniurius eſt. illius enim religio, eius erat magnitudo & potentia, omnis item ad eam perueniendi via & ratio, gladius & arma; magnus illius Deus, ſui ipſius amor, inſtrumenta bellica, vis, exercitus, quos ad inſtar filiorũ ſuo velut in gremio habebat. Equidẽ per magnum Iehoua, Deum deorum iuro, ſi nulla, niſi Romanæ religionis adminiculo & gradibus, ad prouinciarũ harũ imperium illi patuiſſet via, illam ipſum non ſecùs ac veſtem nouam, haud illubenter aſſumpturum fuiſſe. etenim multis Miſſarum ſacrificiis æquiualet Hollandia. Et quis adeò demens, vt terram hanc promiſſionis, ob non aſſumptum Romanæ religionis velamen & ſpeciem, velit amittere? Maior ſanè erat Mauritij ſapientia, quàm vt ob fidem

quam non profiteretur, pretioſo hoc monili carere vellet:neúe adeò is deſipiebat, vt, ne Romanæ Eccleſiæ cæremonias admitteret, hanc ſibi è manibus imperandi occaſionem elabi ſineret. Imò etiam (iurare auſim) hebdomadatim peccatorum confeſſionem inſtituiſſet, & Romano cœnam Eccleſiaſticam more percepiſſet, ſi hac illi viâ ad Germanicum Imperium, aut certè alium paulò inferiorem principatum aditus patuiſſet. Mihi credas velim, adeò is in Gommari verba, aut Synodi Dordracenæ decreta non iurarat, vt ſe, illorum tuendorũ cauſâ, non dico flammis tradidiſſet, vel alapam, aut irrogatam dicti mendacij contumeliam tuliſſet; ſed ne vel minimam aciculæ, etiam in omnium Hollandicarum, quotquot cogi poſſent, Synodorum, aut excerebrati Gommari gratiam, puncturam pati voluiſſet. Vſque adeò is vecors non erat. Illa enim ei optima videbatur religio, quæ ad illius quam ſpectabat magnitudinis incrementum & promotionem maximè conducebat. Secùs de eo qui opinatur, errat grauiſſimè.

Eamdem quoque religionem profitentur & ſectantur, quotquot ei Aduocati de medio tollendi ſuaſores & inſtigatores fuere. Summus illorum Deus, eſt compendium & honoris incrementum; religio verò, omnis illa per quam optatis eorum commodis, poſſeſſioni-

bus,

bus, dominatui aliqua fieri poteſt acceſſio. Imò, tametſi hanc religionem cacodæmones ſectarentur, plenis eam nihilo minus vlnis & ambabus manibus amplecterentur. Cælum ipſorum in terra eſt; aliud quippe nec exſpectant, nec eſſe credunt. inter hominis enim, & iumenti aut bouis Hollandici mortem nihil intereſſe putant; & credunt firmiter, nullam, poſt hanc mortalem, vitam ſupereſſe aut exſpectandam. Vt mirandum non ſit, illam ipſis religionem optimam videri, quæ ad deſtinatum illos finem & ſcopum optimè dirigit. Sic mercator illam ſibi viam compendioſiſſimam & optimam ducit, per quam maior peculio ſuo fit acceſſio, & annuus prouentus maximè increſcit. Quiſquis aliam Statibus nos regentibus religionem affricat, magnam is illorum ſagacitati, acumini, & prudentiæ irrogat iniuriam. Hinc toties eam vendere, abnegare, & abiurare non dubitabunt, quoties per aliã quamdam maior quæſtûs & commodi ſpes affulgebit. Imò nec Turciſmum, Iudaiſmum, & proinde nec circumciſionem abnuent, ſi hæc illos fides ad ſcopum præfixum, ſperatas opes & honores conductura ſit. Aliud qui de ipſis ſentit, aut opinatur, cæcutit. Aſſeuerare & iureiurando confirmare auſim, fore vt etiam parentes, vxorem, filios, Hollandiam, Deum ipſum vendant, quò votorum & intentionis ſuæ reddantur

dantur compotes. Exemplo tantùm tibi ſit, quod ſuperioribus hiſce annis, tam in Gallia, quàm Anglia machinatum eſt. quoties enim duobus illis Regibus neſcientes venditi ſumus! Teſtantur hoc immenſa illa & regia, quæ Legati noſtri domum retulere, quibuſque ſuas illi facultates incredibile quantum adauxere, munera. Si tam facilè nos tradere, quàm vendere, potuiſſent, iam dudum Anglorum aut Francorum ſub iugo gemuiſſemus.

An non iſtoc in euentu longè nos ſatius eſſet Hiſpano ſubiici? Hoc tecum cogites obſecro, & ſimul intuere (reprimo me) Francorum leuitatem & inconſtantiam, intolerabilem Anglorum arrogantiam, quâ gentes reliquas ſeu peripſemata & propudia præ ſe contemnunt. Illorum ſecures, cruces, patibula intuere; vtriuſque gentis mores cum Hiſpanorum moribus compone.

Hiſpanorum mores te docebunt, Siculi, Neapolitani, Mediolanenſes, quibus tot annis Hiſpani ſunt dominati, & etiamnum dominantur. Vide, quàm illis pacificè leniterq́; præſint, quanta incolæ & indigenæ in ſecuritate & quiete agant, quàm omnis metus expertes, quàm ab vniuerſis hoſtibus tuti, quanta domi & foris pace potiantur, & toto dominatus Hiſpanici tempore ſint potiti; cùm ante illum vix eſſet annus, quo non aut domeſtico, aut exter-

no bello fatigarentur. Sunt hæc huiuſmodi, vt & ad oculum videri, & manibus propè queant palpari; & orbe toto quàm notiſſima. Quam illorum fidem, ſinceritatem, & in addicta ſemel fide tenenda conſtantiam docebunt quoque nos noſtrates nuper è Braſilia reuerſi; quos primùm Hiſpani magna cum humanitate in fidem & tutelam recepere; deinde domum reuertentibus de omnibus rebus neceſſariis proſpexere, & in Hollandiam non tamquam hoſtes, ſed hoſpites & amicos, reuexere; nullus vt vel verbum contumelioſum & aſperius, aut minimum maleficij ſignum, ab ipſis ſit paſſus; ſed toto viæ tempore quaſi ſocij, & vnius Regis ſubditi, amicè beneuoleque ſint habiti. Non poſſunt hanc iam domum reuerſi benignitatem non vbiuis prædicare, & centuplo maiorem exſpectatione ſe in hoſte humanitatem & affectum expertos, maiorem quoque beneuolentiam, quàm in popularibus ſuis & eiuſdem ſecum gentis hominibus; plura denique, quàm addicta erant, beneficia percepiſſe, paſſim ſpargere.

Idem & in Bredanæ vrbis iam victæ & traditæ pactis conuentis videri poterit. Etenim SPINOLA, copiarū Hiſpanienſium imperator, cùm ex interceptis ex vrbe in caſtra noſtra, & è caſtris viciſſim in vrbem miſſis litteris, quis rerum in vrbe ſtatus, quæ opidanorum eſſet

neceſſi-

necessitas, didicisset; HENRICVM COMITEM DE BERGIS ad vrbis Gubernatorem misit, qui amicè ei consuleret eam vt Regi quantocyùs traderet, etsi nostris è litteris iam tum nosset, oppidanis nonnisi in sex dies annonam superesse: quorum exspirationem cùm exspectare, ac proinde nostros ad probrosissimas & turpissimas conuentionis conditiones adigere potuisset; nihilominùs ostendere ad oculum cupiens, Hispaniarum Regem tyrannorum more non agere (quemadmodùm nonnulli nostrorum, & præsertim verbi diuini Prædicatores, plenis buccis numquam non crepant) neúe nos vt seruos aut mancipia velle habere; sed illum verè se, etiam in contumaces vasallos & filios, patrem exhibere; incredibili erga nos humanitate est vsus, sine vlla nos necessitate præuenit, & in victos benignum se victorem exhibuit. Quam etiam benignitatem declarauit tum, cùm præsidiarios nostros, non sine ipsorum stupore, & magno nominis sui apud omnes gentes præconio, peramanter ac benignè habuit. Vnde numquā non eum prædicabunt, atque inprimis ipsam Infantem ISABELLAM, cuius maternis ab vberibus hanc profluxisse lenitatem minimè dubitandum est, probè gnaræ hanc & patruelis sui Hispaniarum Regis, esse mentem. Vt nos de paterno Regis in nos & hasce prouincias affectu amoreq; nefas sit

ſit dubitare. has enim ille ſemper primariam coronæ ſuæ gemmam duxit, eaſque vt ſubigat, & aduerſus plurimorum Regum, Principum ac Rerumpublicarum potentiam ſibi vindicet, nullo hactenus ſanguine aut auro pepercit; atque (vt Hiſpani vulgò dictitant) nonaginta nouem prouincias ſuas propemodum deſeruit, quò errabundam hanc Belgicam ouiculam, ad Regium ſuum ouile, magno animi ſui cum gaudio & voluptate reducat. Non id eò dico, vt Hiſpano nos ſubiiciamus; ſed vt hinc liqueat, centuplo hos benigniores erga nos fuiſſe, quàm modò ſe Franci in Italos, & olim in Genuenſes, Siculos, Neapolitanos, Mediolanenſes præbuere; & millecuplo humaniores, quàm nos in Indos, quos noſtrates nullo ſuo merito, & nullius culpæ reos, inauditis ſuppliciis, & incredibili cum immanitate, iubētibus Præfectis noſtris, neci dederunt; idque non militari quadam petulantia aut licentia, ſed præmeditato noſtrorum conſilio, & occultis ad hoc ipſum faciendum traditis litteris. Quod ſanè Orientalis Indiæ ſocietatis membra & Directores negare nequeunt. Atque hæc forſan eſt cauſa, cur Admiralius noſter Wittardus cum omnibus ſuis, parricidalis ſuæ feritatis pœnas vindici Deo dederit.

Non poſſumus etiam ignorare, quo in Orientis India modo in amicos noſtros Anglos

anno

anno MDCXX. sæuierimus: quos manibus pedibusque vinctos, & è scopulis præcipites datos, membratim dilaniari vidimus. Anno verò post hunc tertiò, alios de trabe suspensos aqua infusa propemodũ suffocauimus. Aliorum quoque pedibus, manuum volis, & axillis ardentes faces admouentes, lento eos excruciauimus supplicio, & mille mortibus; quos tandem post omnem hanc carnificinam, securi subiecimus. Hoc sanè ipsi negare non possumus; Anglorum quippe nomina, vti & ductoris illorum Gabrielis Towersonij, orbe toto notiora sunt, quàm vt rem negemus. Ac licèt hanc Angli barbariem & carnificinam auro nostro excæcati, dissimulent & æquo ferant animo; non eo tamen minùs omnium bonorum hæc animos offendit, & linguis omnium carpitur. Non tanta Hispani in nostrates, iuratissimos suos hostes, crudelitate & feritate sæuierunt, quanta nostri in amicos & confœderatos; vt posset Nero, & prisci Christianorum persecutores noua à nostris suppliciorum & tormentorum genera ediscere. Hoccine Batauicum est? hæccine Reformatam religionem redolent? hæccine Christiana, imò & humana sunt? talem ne in barbaris quidem immanitatem videre est. Interim tamen mites & lenes haberi volumus, nostraque Hispanam barbariem ac feritatem clementiâ lenire; &, cùm

Hispa-

Hiſpanorum tyrannidem nuſquam non paſſim iactemus, quaſi illius declinandæ gratiâ arma induerimus, illos certè barbarie & belluina immanitate longè tranſſcẽdimus. Quod breui ad oculum me ſpero demonſtraturum, vt ſanguinarium Gommari ſpiritum, & inauditam omnium illius ſequacium, & nos Anglis ſubiicere conantium, truculẽtiam orbis agnoſcat & deteſtetur. Quid enim ab Anglis ſperandum aliud, quàm vt, ſi ſemel abſolutum in nos imperium obtineant, eâdem nobis menſurâ metiantur, qua Gommariſtæ noſtri ipſis in India menſi ſunt? Vtinam in memoriam & mentem reuocaremus, quo Angli olim modo in Francos ſint graſſati. vt interim de Francis nihil dicam, qui quales ſe in Flandros, Arteſios, Hannonios, Luxemburgios olim præbuerint, lippis notum eſt & tonſoribus. Licèt enim ciuili hoc bello inſignem & ſpe maiorem ab illis opem ſenſerimus, ac nobis aduerſus Hiſpanum bello certãtibus ſupra centum ac quadragenos florenorũ milliones (credet poſteritas?) Gallus erogarit; in eo tamen non tam rerum noſtrarum accrementum eum, quàm Hiſpanienſis monarchiæ decrementum, &, illa decreſcente, ſuum ſtabilimentum & augmentum ſpectaſſe conſtat. Imò auratis hiſce hamis & eſcis nos ineſcare, noſtrarum prouinciarum imperium ſibi arrogare, & ſuam eas redi-

gere ſub poteſtatem, ante omnia intendit; ac deinde armis noſtris in partem venientibus reliquum Belgium Gallicanis liliis ſubiicere, vti Arteſios, Hannonios ac Flandros olim maiores eius reducere ſunt conati.

Horum ergo exemplo ſapiamus. Beati & ter felices illi, qui fortunato & infortunato aliorum exemplo, agenda & cauenda ſibi queunt ediſcere.

Et quamquam non id agam, vt Hiſpanis nos ideo ſubdamus, cùm tanto ſanguinis & auri impendio noſtra nobis libertas tot per annos ſteterit; negare tamen non poſſum, quin, ſi, vt extero cuipiam nos ſubiiceremus, extrema nos compelleret neceſſitas, ſatius ſit multò, ad priſtinum Dominum Hiſpaniarum Regem reſpectare, quàm vllum alium exterorum Regum aut Principum deligere, vel priuatum Comitem ac Dominum admittere. Hic enim aduerſus vicinorum, & Hiſpanicam potentiam, prouincias noſtras tueri, & vim hoſtilem propulſare per ſe non valeret.

Verùm, haud dum huc extremitatis redacti ſumus; at, quamdiu, & qua poſſumus, prouidâ ſagacique prudentiâ hanc à nobis neceſſitatem amoliamur. tametſi rei noſtræ non parum timeam: idque ob varias quæ me timere cogunt, rationes. Quarum ea potiſſima & maxima eſt, quòd aduerſarios noſtros à diuina poten-

potentia notabiliter videam iuuari & protegi. Videas enim

Primò, quomodo BVCQVOYVS Comes exigua militum manu (pugillo penè dixero) Imperatorem, ab omnibus destitutum, aduersus Ottomannicam potentiam, Hungaros, Transsiluaniæ Principem Bethlinum, rebelles Bohemiæ Directores, Palatinum, Iagerendorsium, & Durlachij, Hassi, Brandeburgici, Anglorum & nostrorum suppetias sit tutatus, quàm paucissimos aduersus potentissimos & innumeros exercitus in aciem educens.

Secundò, vt idem Comes ad Danubij pontem, à sexaginta & amplius hostium millibus cinctus, cùm ipse vix vicena sub signis haberet, gloriosissimè tamen cum suis euaserit, & Vienna hostem discedere compulerit.

Intuere Tertiò, conflictum Pragensem: in quo tot propè videbis prodigia ac miracula, quot euentus. Primò, BAVARIÆ Ducem belli imperitum, qui fortè vix hostem & arma vmquam viderat; Secundò, BVCQVOYVM vulneratum; Tertiò, Cæsarianos defatigatos & fractos; Quartò, Bohemos accliui in colle, tormentis bellicis & vallis communitos, & Pragam vrbem copiosissimam à tergo pro vallo habentes; Quintò, Cæsarianos toto corporum obnisu, hostem in colle suo quiescentem vt ferirent, in cliuum ascendere, & quidem angu-

ſtum per callem coactos; Sextò, hoſtium multitudinem, vt qui Cæſarianos duplo penè ſuperabant. Hæc tamen omnia BAVARVS & BVCQVOYVS nihil morati, manus conſerunt, Bohemum Regem in fugam agunt, Pragam, quam ne duplex quidem exercitus expugnaſſet, vtpote quæ ſupra quinquaginta bellantium millia complecteretur, intercipiunt. Hæc ſi humano iudicio penſentur, & iuxta militarium legum præſcriptū, ac peritorum ex qualibet gente ducum conſuetudinem examinentur; temerarium maximè & ſtultum videatur, Bohemos tanta armorum, bellicorum tormentorum, loci, quietis, copiarum tam equeſtrium quàm pedeſtrium prærogatiua præualentes à Cæſarianis impeti. Mirum vt non ſit, veteranum alioqui militem BVCQVOYVM, initio à confligendo alieniorem, prælium diſſuaſiſſe & propè detrectaſſe. At BAVARVS, plus Deo quàm ſuorum fiſus viribus, & hoſtiles prærogatiuas nequidquam moratus, collegam BVCQVOYVM ad manus cum rebellibus conſerendas induxit; & ſuperior euaſit. Hæc omnium in ore, & memoria verſantur.

Quartò, conflictum cum Durlachio & confœderatis intuere. in quo primò Hiſpanicus & Tillianus peditatus in fugam pellitur, equitatus funditur, CORDVBA à ſuiſmet militibus recedere cogitur; Durlacenſes contrà concatenatis

natis ferro curribus (inaudito castrametationis genere, omni propugnaculo & vallo valentiore) communiti, & aduersus omnem hostilem incursionem offirmati, in tuto sunt; TILLIVS denique consternatus, quò se vertat aut quid agat, ignorat. Et tamen post hæc omnia, CORDVBA & Tilliani hoste profligato superiores opima spolia referunt.

Quintò, considera, vt Halberstadius valentissimis copiis suffultus, & adinstar arrogantis Holofernis adueniens, Cæsarianos & Regios ceu paleas difflaturus; priùs in fugam agatur, quàm suos in aciem eduxisset, victumque antè se videat, quàm hostem vidisset.

Sextò, hic ipse nouis iterum copiis firmatus, & omnibus rebus necessariis quàm abundantissimè instructus, rursus à paucissimis Tillianis haud procul Breuordia funditur, fugatur, & castra sua diripi videt.

Septimò, vide vt CORDVBA haud procul à Fleruaco à Mansfeldicis impetatur, eius equitatus distrahatur, peditatus perterritus propè in fugam agatur; & nihilominus victor euadat, quin & Mansfeldium prosequatur; cùm tamen huius equitatus Cordubensem duplo superaret.

Octauò, triplicem nostram aduersus Antuerpienses expeditionem in mentem reuoca.

Prima sanè aurâ erat temperatissimâ susce-

pta:ſed vix Princeps cum ſuis nauem conſcenderat, vix medio nauigatum erat die, cùm, ecce, tantum, tamq́ue vehemens repentè incubuit gelu, omnes vt naues ad nauigandum inutiles & impotes redderentur, & ſubitâ ventorum coortâ tempeſtate, ita illarum ſint latera conquaſſata, & ipſa claſſis, magna nauium & hominum cum iactura, hinc inde ita fœdè iactata & diſtracta; vt Princeps in ſubito hoc gelu, tempeſtate, aquarum agitatione, Deum cæli noſſe, eumq́ue (primùm fortè id ei fuit quamdiu vixit) inuocare cœperit, vt qui tempeſtates, & ciere, & compeſcere, cùm viſum fuerit, poteſt.

In ſecunda, ſub ipſa arcis (in qua vix centum præſidiarij armorum tractandorum potentes tum numerabantur) mœnia cùm penetraſſemus, derepentè coorta ventorum tempeſtas impedimento fuit, quo minùs ſcalas & alias machinas pontibus ac mœnibus admouere, cymbas aquis iniicere potuerimus; vt cœpta abrumpere, & re infectâ domum nos reuerti oportuerit.

In tertia, integram propè noctem in ericeto à via errauimus, cumq́ue perpluti & madidi vix tandem ſub arcem veniſſemus, cæleſti quodam lumine perterriti & conſternati, eam aggredi auſi non ſumus.

Nonò, conſidera, quomodo poſt Braſilienſe opi-

opidum *S. Saluatoris* dictum, à noſtratibus occupatum, claſſis, quam noſtrorum auxilio deſtinaueramus, trimeſtri & ampliùs in Batauicis & Anglicis portubus ventum oportunum exſpectans hærere coacta ſit; tamquam ſi nos tamdiu vento carere oportuiſſet, quoaduſque Hiſpana claſſis felici & optato vento in Braſiliam appelleret, & antè opidum expugnaret, quàm noſtrates ſociis auxilio venire poſſent: vt nonniſi aliquot poſt expugnationem diebus noſtra Pernambucum claſſis, per tempeſtatem & epibatarum morbos prorſus impotens (cùm centum & triginta epibatarum nauis, vix ſeptem incolumes & valentes numeraret) appulerit.

Decimò, Bredanam obſidionē ſpecta: quot illa fuit menſium, tot penè videbis miracula. Etenim MARCHIO SPINOLA Regiarum copiarum in Belgio ductor, in Gilſeno pago, loco deſerto & ericoſo, non ſine ſtupore omnium, caſtrametatur, ſecum diu deliberans quem potiſſimùm locū adoriatur; noſtris interea velut tempus dans & oportunitatem ad vicinis vrbibus & arcibus de omni re neceſſaria in annos plurimos proſpiciendum. Tandem Bredam caſtris ad decem in circuitu leucas (inauditum id hactenus) extenſis & patentibus cingit. Nos interea eius auſus explodimus, eumque ſua in oculis propè noſtris valla & propugnacula per

otium erigere patimur; nec plus mouemur, quàm si ea nos res minimè spectasset. Tandem nono pòst mense Regis in manus opidum traditur. In hac porro oppugnatione obsidioque permulta notanda sunt. Primò, quòd datũ ab hoste, ad vrbi de necessaria in annos plurimos annona prouidendum, tempus neglexerimus. Secundò, quòd SPINOLAM, cùm vix quindecim hominum millia penes se haberet, non impedierimus, sed suos per otium aggeres & propugnacula perficere, passi simus, ne telum quidem mittentes. Tertiò, quòd flumen quo Bredam nauigatur, arcibus in ripa erectis antè non communierimus, quàm vrbem vallaret SPINOLA. Quartò, quòd toto obsidionis tempore, viuente Mauritio, hostilia latissimè per decem leucas diffusa munimenta semel non simus ausi impetere, aut vllum propugnaculorum tentare. Quintò, quòd hostem annonam omnem & commeatum octo leucarum itinere, continuò carris ad castra conuehere necessariò coactum, semel adorti non simus, nedum vt interceperimus. Sextò, quòd eius equitatu, qui annonam aduehendã identidem stipabat, absente, aggeres illius numquam simus aggressi, nullumq; animi aut potẽtiæ nostræ periculum fecerimus; nisi fortè sub Comitis Henrici Nassouij ducatu. Septimò, quòd ab hoste vltrò in aciem ad manus conserendas prodeunte lacef-

lacessiti, illi occurrere ausi nō simus, sed nostris nos castris tamquam obsessi continuerimus; cùm tamē & multitudine superiores essemus, & suos illum aggeres & propugnacula, quæ supra ducenta erant, præsidiario milite tueri oporteret. Octauò, quòd totius penè Europæ viribus, & Gallicis, Britannicis, Germanicis copiis roborati, & Veneto auro suffulti, vni Genuensi bellanti, & Infanti Bruxellæ precibus insistenti, atque in solo Deo fiduciam locanti, præualere velut enerues nequierimus. Nonò, quòd omnē propè Batauicam gazam in vnam Bredam insumpserimus; & supra vicenos florenorum milliones, re nulla, spe maxima, iam inde ab eo tempore, quo MARCHIO Bruxellâ vrbem obsidere cogitans egressus est, prodegerimus. Decimò, quòd post obiectas flumini moles, erectos hinc inde aggeres, aquarū latè stagnantium inundationem, irrito conatu, ac re infectâ domū redierimus. Vndecimò, quòd, variis in castra hostilia emissis incendiariis, omnem conatum nostrum euentus sit frustratus, & nonnisi modico farinæ aceruo inferre noxam potuerimus. Duodecimò, quòd, cùm nossemus in quot menses Bredanis annona sufficeret, nullum interim hostile opidum tentauerimus: nam nouem spatio mensium potuissent haud magno negotio Vesalia, Rinberka, Grolla, Lingena, Oldenselia; aut quædā Flan-

driæ opida, putà Dunkerka, Neoportum, Brugæ, Ostenda de hoste capi; aut, expeditione saltem tentatâ, is cum probro à cœpto obsidio auocari. Decimotertiò, quòd non modicam Regibus Gallo & Anglo, aliisq́; sociis & amicis nostris, quibus obsidionem indubitatè soluendam addixeramus, intulerimus iniuriam, magnoq́; illorum nomini & gloriæ orbe toto infamiæ notam inusserimus, tamquã si vniuersis viribus suis MARCHIONEM ad Bredâ recedendum cõpellere non potuerint. Decimoquartò, quòd nostram vniuersæ Europæ ignauiam & degeneres animos detexerimus, thrasonica quidem verba, sed opere & animositate cassa; diuites sponsiones, sed rebus viduas; dum sex & triginta armatorũ millibus instructi, hostem eiusq́; vallos adoriri, aut aliquod generositatis nostræ specimen edere non præsumpsimus.

Intuere iam, obsecro, ærumnosum reip. nostræ statum. Supra octoginta argenti milliones æs nobis alienum est, idq́ue è pecunia à nostris mutuata, cuius in annos singulos fœnus creditoribus nos pendere oportet; vt taceam eam quam Gallo, Venetis, & aliis exteris mutuantibus, accepimus; item quinquagenos illos argenti milliones, & amplius, ab Orientali societate mutuo acceptos, & numquam refundendos; non quidẽ in ipsos pecuniæ dominos ac proprietarios, quibus societatis illius Directores

ctores (*Maiores* nominantur) per Capitaneos ſuos illam ſurripuerunt; non item in hos ipſos Directores, qui veri rerum furto ſurreptarum domini eſſe nequeunt. adeò vt omnis direpta pecunia Generalibus prouinciæ Statibus, tamquam bona derelicta, nullumque dominum agnoſcentia, competat. Interim nullam Directores de his conquerendi anſam habent, cùm omnis furto ſublatæ pecuniæ dimidium Status illis non inuiti cedant. Imò verò Statibus illi gratias agant oportet, Primò, quòd bona illorum cum venia liberè ſibi rapere & prædari licuerit. Secundò, quòd dimidiam rapinæ partem ſibi ceſſerint; quæ niſi fuiſſet, ſæpiùs ſocietatem foro cedere oportuiſſet; imò ne modò quidem extra periculum eſt. Etenim omnis illius ſors iam dudum diſperiit; hinc, ne penitus ſocietas intercidat, noua indies pecuniarum nomina contrahit.

Duodecimò, vide, vt Comes Mansfeldicus, cum Gallicis atque Anglicis copiis iam inde à Bredani obſidij initio exſpectatus, cum tempeſtatibus variis conflixerit; & poſt naues plurimas amiſſas, Anglos ſuos delumbatos, exhauſtos & morbidos, mortuis quàm viuis ſimiliores, in Hollandiam adduxerit, & vniuerſæ prouinciæ inauditi hactenus morbi contagia intulerit; imò ipſemet actuaria in cymba, cum pauculis comitibus, vix ſoſpes euaſerit.

Deci-

Decimotertiò, quis dicere ausit, quid classibus nostris in Americam missis factum sit, vbinam tot naues variis sub nauarchis disperierint; quantum auri, à plebe in hanc expeditionem suasu nostro tam libenter erogati, irrito euentu dissipatũ sit? Vniuersam pulsis Hispanis Americam, Peruuiam, Mexicũ, Brasiliam subacturi videbamur, & ita rem ibi nostram acturi, vt in Noua Hispania Nouam conderemus Hollandiam, ac gentes illas barbaras nostrã & linguam & religionem (missis eo fine permultis Euangelij nostri Ministris) Romanâ & Hispanâ proscriptâ, edoceremus. At in ventos hæc abiere molimina, vix centesimus domum reuertit; de reliquis quid actum sit, nouit Deus.

Decimoquartò, tecũ perpende, quam naues nostræ ante Dunkerkam, Deo castigãte, à vento & oceano, & quidem in loco vbi tempestas rarior, sint passæ iacturam, vt pars malos præcidere sint coactæ, pars ad littus collisæ & exarmatæ in hostium potestatem deuenerint; cùm hostiles ne rudentẽ quidem amiserint. Factum hinc, vt illæ, nostris, à quibus velut obsidebantur, dissipatis & luxatis, liberum mare nactæ, sexaginta propè piscatorias nostrorum naues, & duas onerarias interceperint, quarũ partem mersere, partẽ flammis absumpsere. quæ sanè iactura, quinque florenorum millionibus vix pensetur. Vt taceam ortum hinc in populo pa-

uorem

uorem & consternationem, vt qui ea sit magis, quàm Bredæ amissione perculsus; viso, nauium plurimas sine halecibus, reliquas cum pauculis domum redisse. vnde factũ, vt superior iactura multò sit visa maior. Adhæc piscatus omnis est turbatus & dissipatus, ac retia amissa: verendum vt sit, vt anno proximo pauci piscatum sint abituri; vnde non vulgare vniuersæ prouinciæ obueniet detrimentum.

Decimoquintò, vt Gabor Bethlinus, secùs ac iureiurando promiserat, & contra ictum cum Imperatore fœdus, iam paratus (nobis instigãtibus) vt potenti cum exercitu in Cæsarianas prouincias irrueret, quò TILLIVM & WALSTEINIVM Brunsvicensi ditione excedere cogeret, ac Danorũ Regi viam nullo impediente in Palatinatum penetrandi, veluti sterneret, à Deo sit castigatus. etenim quatuor primarij eius duces & velut atlantes, quibus amissis nihil est, vno simul tẽpore ex hac vita abripiuntur. Seczius enim & alius violenta, & ferro alieno; Butianius, & quartus subitâ ac repẽtinâ morte sublati. In quibus Gabor vindicem Dei cum Antiocho manum sentiens, sceleratam suam expeditionem, ne fortè pares Deo pœnas daret, abrumpere est coactus.

Decimosextò, Dei in hostes nostros propensionem & nutum pondera. Classi Anglicanæ nostras ipsi naues cùm iunxissemus, animis &

viri-

viribus concordibus Hiſpaniam petiimus, Gades inſulam expugnaturi: quam Afris dare polliciti, decimo tandem die, felici acti vento, etſi non ſine maris periculo, exſcenſionẽ fecimus. Hac porro in expeditione, quędam nobis conſideranda ſunt. Primum. cùm non pauci Angli æquè ac noſtrates exſcẽdiſſent, & octo bellica tormenta in terram expoſuiſſent, ſunt à præſidiariis Hiſpanis, quos ſextuplo numero ſuperabant, primò quidem inhibiti vlteriùs progredi; dein prorſus in fugam compulſi. Hac in fuga cæſi octingenti, & octo illa tormẽta Hiſpanis ceſſere. Itaque occupato illo portu, ſempiterna noſtri & Britannici nominis cum infamia, excedere coacti ſumus. Secundum, quòd, cùm Rex pro ſolitâ ſuâ prudẽtiâ plures actuarias & celoces in claſſis ſuæ Mexicanæ occurſum, & quidem per diuerſos cæli & altitudinum gradus, emiſiſſet, nuntiaturas ne Gaditanum, vti quotannis ſolet, portum ſubiret, ſed vel Olyſſiponenſem, vel Corunenſem; claſſi Regiæ harum actuariarum ne vna quidẽ, poſt omnem eius per mare inueſtigationem, occurrerit. Vnde, cùm ex harum nonnullis, quæ noſtram in claſſem inciderant, Regis mentem intellexiſſemus, claſſem ipſi noſtram bipartitò diuiſimus, pars Olyſſiponẽſem, pars Corunenſem portum obſeſſuri, ne noſtras Americana illa vllatenus manus effugeret. quas haud du-
biè

biè non effugiſſet, ſi priùs è ſpeculatoriis illis nauigiis Regis mentem intellexiſſet. Verùm quòd, Deo diſponẽte, nullum omnino horum in claſſem inciderit, hinc pro more Gaditanũ portum petiit, ac feliciter ſine vlla hoſtium incurſione ſubiit. quod ſine ſingulari Dei prouidentia & directione fieri non potuit. Quo in euentu fateamur oportet, Deum opt. max. Regis adfuiſſe cœpto, & à Regiâ nos prudentia decipi permiſiſſe. Speculatoriorũ ergo diſperſio, & claſſis non inuentio, quæ Regi obfutura maximè videbatur, ipſa vt feliciter appelleret, in cauſa fuit; & illa Regiæ intentionis, quam ex actuariis in manus noſtras incidentibus didicimus, notitia, quæ (humanitus loquendo) in noſtras eam manus tradere, nobiſque prodeſſe debuiſſet, obfuit. vt videre & fateri nos neceſſe ſit, Regiam ideo claſſem non periiſſe, quia cymbæ eius ſpeculatoriæ periere, Regiſq; bonum in earum malo, & noſtrum infortunium in fortunata illarum inuaſione ſitum fuiſſe. Et ſicut nil ad victoriam magis conferre vulgò ſolet, quàm hoſtilia prænoſſe molimina; ita nihil ad eamdem hîc mage nobis obfuit, quàm Regiam intentionem nouiſſe. Quod ſanè omnem humanum intellectum & ſagacitatem longè tranſſcendit, & à Deo ſolo prouenire poteſt. Nihil hîc loquor de erogata in centum nauium adornationem & annonam impenſa,

de

deinutilibus eundo redeundoque factis sumptibus. prætereo & Anglorum luctum & querimonias, suorum tum in agro Gaditano cæsorũ, tum in Oceano præ morbis & tabe consumptorum, amissioné plangentium; nec non frustranea militum & epibatarum stipendia. non examino, quis quæ vltrà eis debentur, post reditum persoluturus sit, & non hinc aliqua toto regno secutura sit commotio. non dico, quibus nos huius expeditionis causas Angli diris sint deuoturi : vt taceam vltricem Dei dextram, quæ (si modò Deus sit & omnipotens) hanc iniustitiam inultam non sinet. Nisi fortè omnibus illis, suasu & exemplo nostro, eo satisfiat modo, quo nos nostris è Brasilia reducibus perfidè persoluimus. Hæ scilicet sunt Puritani & Gommaristici Euangelij, è sacris Bibliis depromptæ adinuẽtiones & artes. hæccine Gommaristarum, Bogermanno Pontifice, in Dordracena Synodo accuratè ad verbi diuini amussim & normam efformata dogmata? Dij talem terris auertite pestem, & plures id genus fruges nostra ne ferat tellus.

Decimoseptimò, notabilem & euidentem Dei erga TILLIVM propensionem & fauorem contemplare. etenim hic in agro Brunsuicensi Dani copias ita profligat, vt vltra decem sint è peditatu Danico millia ipso in conflictu desiderata, & equitatus ita discerptus, vt è nonaginta

ginta turmis vix triginta superessent, & quidē admodum diminutæ; adhæc bis mille capti viui, & in iis centum ac duodecim castrenses præfecti, maiores æquè ac minores; abducta præterea octoginta & ampliùs bellica signa velut trophæa & monumenta victoriæ: cùm è Tillianis vix ducenti interfecti sint, vix totidem vulnerati. quodque mirere magis, equitatu æquè ac peditatu Danus Tillio longè erat superior. Vtque apertiùs propugnatricem Dei agnoscas manum; nocte prælium præcurrente visus ab exercitu vtroque flammeus in aërea cæli regione gladius, acie in Danos obuersa, certus rei postridie euenturæ prænuntius & præco. Quo ex portento satis superque Deum hosti nostro fauere & adesse videas; nosq; post cladem hanc aliud à Dano Rege præmium exspectare non posse, quàm sexcentas in caput nostrum diras, & bacchantium Germanorum imprecationes, vt qui illum ad probrosam & infelicem hanc expeditionem impulimus, instigauimus; nec non à Galliæ & Angliæ Regibus, quos ad Dano copiis & auro succurrendum induximus: vt hac ratione domus Austriacæ potentiam deprimerent, extorrem Palatinum post multorum annorum exilium pristino statui restituerent, Hispanos & Bauaros vi Palatinatu exigerent, Catholicos Germaniæ proceres tam sacros quàm profanos in or-

dinem redigerent, Imperatorem denique Romanum de ſolio deturbatum, vniuerſis regnis ſuis pellerent, quæ dein, vti & reliquas Catholicorum prouincias, inter Danorum & Suecorum Reges, Gaborem, Palatinũ, Durlachium, Iagerendorfium, Halberſtadium, Haſſię Lantgrauium, Mansfeldium, alioſq́ue Proteſtantium & Caluinianorum aſſeclas diſtribuerent; magnum verò Turcarum dominum in protectorem & tutorem aſſumerent, à quo ea ceu feudum annua cum penſione poſſiderent. Vt hac ratione noſtras ipſi prouincias aduerſus Hiſpanum firmaremus, & ab eius potentia vindicaremus; alias verò, quæ ei etiamnum parent, imperio illius extorqueremus, & ad Heluetici regiminis formam conformaremus: vnde fieret, vt & Galliæ, & Britanniæ, & Germaniæ nullum ab Hiſpanica potentia periculum immineret. Tum verò magis, cùm, Anglicanarum & noſtrarum nauium ope, Afros in Hiſpaniam inuexiſſemus; & confœderatâ noſtrâ potentiâ, Germanię Proceribus, ac Galliæ, Britanniæ, Daniæ, Sueciæ Regibus, & potentiſſimis quibuſdam Rebuſpublicis ſubſidio nobis venientibus, vtriuſque Indiæ frequentationem Hiſpano extorſiſſemus: itaq́ue binas ſuas, quibus vniuerſum terrarum orbem circumuolitat, alas ei præcidiſſemus. Tum demum Sabaudiæ Regulum ad arma Mediolanenſi-

nenſibus,& alios Principes ad Neapolitano & Siculo regnis mouenda impuliſſemus. Vt hoc pacto, vndiquaque ſumma vi laceſſitus Hiſpanus, omniq́ue potentia exutus, ne lacertos mouere quidem poſſet, vtq́ue omni ſuo prouentu annuo excluſus, fractus & fatiſcens ſub aliena gemere poteſtate cogeretur. Sed, vt verum fatear, omnes vulpinæ machinationes & artes noſtræ in nihilum recidunt, extremam amicis perniciem creamus, res noſtræ nutant & collabaſcunt, parum vt abſit, quin ad extrema redacti, Hiſpani nos iugo denuo ſubmittamus.

Decimooctauò, viden' vt TILLIVS poſt ſuperiorem illam cladem totum Brunſuicenſem Ducatum, ditionem Hildeſheimenſem, Verdenſem, & Comitatum Hoyenſem Imperatori ſubiiciat, & quidquid Viſurgim & Albim interiacet, armis ſuis edomet? quod tantillo tempore vt fieret, impoſſibile videbatur.

Decimononò, vt Fridlandiæ Dux pugillo militum Mansfeldium, decem millia ſub ſignis habentem fundat & profliget, incruentâ prorſus victoriâ; quæ ſparſo inter Mansfeldios rumori, quaſi Baltazar de Marradas decē è Bohemia millium ſuppetias Duci miſiſſet (cùm tamen hic Bohemia pedem non extuliſſet) poſt Deum, potiſſimùm eſt aſſcribenda.

Denique vide, vt Comes HENRICVS DE BERGIS nouem equitum turmis, & ducentis

clopetariis aſſumptis, etiam poſt octo leucarum iter confectum defatigatis, equitatum noſtrum ſummo diluculo adoriatur & diſſipet, vltra mille equos abducat, & ſeptem cohortes noſtris auxilio venientes, octoginta pugnatoribus opprimat, fuget; plurimoſque eorum, inter reliquos Comitem Stirumenſem, & Baronem Botſelarium, vinctos ſecum abducat, omni exercitu noſtro inſpectante.

At, vndenam nuperæ illæ clades & infortunia, rebus noſtris antè tam feliciter & ad votum fluentibus, ortum habuerint, forſan ex me percontaberis. Dicam tibi quod ſentio, candidè, batauicè, & ſine fuco.

Primò, intolerabilis noſtra iniuſtitia, quam Orientalis ſocietatis Directores in India per ſuos exercuere, Dominum cæli indubiè ad iracundiam & à nobis auerſionem excitauit: cùm noſtrates, totâ paſſim Indiâ, & variis ſub Regibus, Indos incautos fraudulentis in caſſes ſuos verbis pertraxere, ac ſuis eos dein facultatibus & mercibus exſpoliauere. Dum, verbi gratiâ, anno MDCX. ductore Franciſco Henricio Wittardo, Sinenſibus centum maiorum regalium millia præſente pecuniâ exſoluimus, alia verò ducenta millia per cambium Bantani recipienda promiſimus. quos, cùm Bantanum ſuam ex fide data pecuniam recepturi veniſſent, primùm verbis exploſimus, dein violenter inde,

inde,nî perire vellent, recedere compulimus. imò (quod ſceleſtius) naues illorum inter noſtras dum nauigarent, diripuimus, merſimus, & vectores omnes manus pedeſque vinctos in altum deturbauimus. E qua impia & ſceleſta machinatione plus centum argenti millionibus redactum eſt; vti ad oculum ipſas Directorum Orientalis ſocietatis rationes inſpicienti patebit. E quibus etiam, annis MDCXVII. & proximo, nauarcho & ductore Ioãne Theoderico Lammio, ſupra tres ducatorum milliones direptos diſces. Quæ rapina innoxiis illata vltricem Dei in nos dextram armat, vindictã expoſcit, & Batauicum toto terrarum orbe nomen meritò exoſum & probroſum reddit. Prædatoria hæc negotiatio anno MDCX. primùm ortum habuit, quòd Directores incredibili cum impenſa, ad ſui ſuorumque tutelam, varias hinc inde conſtruere coacti ſunt arces, eiſque de præſidio militari proſpicere; quodque & aromatum in India pretium increſceret, hîc verò ob immenſam illorum copiam decreſceret. Itaque Directores ſuis per Indiam ductoribus & nauarchis, obuios quoſque, nullo amici ſociiue & inimici cum diſcrimine, deprædandi & exſpoliandi poteſtatem fecere. Hæc porrò rapina, iam quindecim annis elapſis, adhuc in vſu eſt; nec finem inuenit. Videant hîc cordati noſtri ciues, Batavi iuxtà at-

que alij,qui ſuas huic ſocietati pecunias dedicarunt,quâ ſibi monetâ à Directoribus perſoluatur, direptis inquam & auectis miſellorum Indorum facultatibus.Hac enim technâ & arte niſi ſocietas ſibi conſuluiſſet,iam plus vicies foro cedere & diſſolui debuiſſet. Atque hæc eſt cauſa,cur Directores rationes dare nolint, nec,ſi vellent,poſſint.Et eſto immenſum è rapina hac ſecutum ſit compendium,ſors tamen capitalis parum abeſt quin deperierit.Hæc videlicet ordinaria furtorum & rapinarum eſt merces ac præmium, cùm præſertim cædium & ſanguinis humani illis accedit auctoramentum.ſic enim falſis aſſignationibus circumuentos Sinenſes facultatibus primùm ac mercibus ſpoliauimus, dein honeſto amicitiæ & mercimoniorum velamine neci dedimus. Factum hinc,vt opulentiſſimi & pecunioſiſſimi quique Directorum ſocietate paulatim exceſſerint, priùs ſibi ſcripto ita cauentes, ſatis vt prodant, vereri ſe.ne,ſi rapina illa aliquando innoteſcat & palàm fiat, à plurimorum linguis vapulent. Verùm hæc eos cautio aut ſtipulatio ab iniquè raptorum reſtitutione veris rerum poſſeſſoribus facienda,non apud Deum, non apud homines excuſabit:hæc enim nî fiat,nec ipſi,nec ipſorum heredes,in futuras generationes vmquam erunt ſecuri.

Secundò, iniuſtitia noſtra,quâ in Cæſarem

FER-

FERDINANDVM vſi ſumus,dum Palatinus ſuaſu, auro, milite noſtro fultus, Bohemicum ei ſceptrum extorſit,ſibique præter fas & æquum,nullo iure vel veriſimili nixus,ſed manifeſta ambitione actus,arrogauit;venientibus præſertim in partem Ottomannica potentia, & impio Bethlino domini ſui interfectore, & iniquo dominiorum eius vſurpatore.

Nec hîc noſtra ſtetit iniquitas; ſed eſt longiùs progreſſa.Cæſari quippe ſumus vniuerſas hereditarias prouincias eripere conati, dum Hungariam, Morauiam, Luſatiam, Sileſiam, Auſtriam vlteriorem & citeriorem, & quidquid ad Imperij corpus vllatenus ſpectabat, aliis perduellibus, velut Orpheum Mœnadibus, diſcerpendum & dilaniandum dedimus. At,qui apertas id genus iniquitates exoſas habet Deus,Cæſarem,aduerſariis diſſipatis,mirabili quodam modo tutatus eſt, ac non ſolùm omnes illi prouincias & vrbes reddidit, ſed & ad longè quàm priùs habebat, maiorem potentiam euexit; idque copiis tam exiguis, vt ad illi auxiliandum Deum cæli concurriſſe, & iuſtam eius cauſam & pietatem reſpexiſſe ſole meridiano appareat clariùs.Etenim fateamur neceſſe eſt, illuſtres has victorias, & hoſtium depreſſionem, Imperatori ob aſſiduas ſolùm preces, & inſignem in Deum fiduciam obtigiſſe.Nam,humani iudicij pondere rem li-

brando,fieri prorſus non poſſe videbatur,ſuorum vt aduerſariorum manus Cæſar effugeret. At iuratiſſimus omnis iniuſtitiæ hoſtis Deus iniquorum conſilia deſtruxit,& humanam noſtram prudentiam confudit;itaque toti terrarum orbi impietatem noſtram patefecit. Adhæc, Palatinum non tantùm Imperio, ſed & paterno Comitatu eiecit:adeò vt qui Imperatorem priùs ſuo expellere ſatagebat, expulſus ſit ſuo,& iam apud noſtrates,profugus,extorris & inops, alieno ex ærario alatur. Idq; non aliam ob cauſam,quàm quia impias haſce machinationes nobis conſultoribus infeliciter ſuſcepit,& Mauritium Principem auunculum habuit. Etenim Gulielmus Orengius,ductâ in vxorem Religioſâ, imò Abbatiſſa Deo votis obſtrictâ,permultas ex ea filias,& in his ipſam Palatini huius matrem,genuit.

Tertiò, iniuſtitia & ingratitudo noſtra in communem patriæ Syndicum & Aduocatum, cuius prudenti cordatoque conſilio, ſolerti ſapientiâ, & auſpiciis optatam nacti libertatem ſumus,declarata. Cuius in morte duo potiſſimùm conſideranda ſunt. Primum,nos hac Aduocati occiſione Hiſpaniarum Regi longè gratiſſimum maximumq; obſequium præſtitiſſe; quòd hanc ille facilè auri millione redemiſſet: nullũ enim eo reperiebat in omnibus ſuis conceptibus euertendis,artibus & aſtu eludendis,

poten-

potentia eneruanda, moliminibus infringēdis, ſuadendo conſulendoq́ue ſolertiorem & verſutiorem; quiq́ue maiorem Regi noxam ſuis conſiliis, quàm omnes noſtri exercitus coniuncti armis, intulit. Alterũ, quòd vnicum patriæ noſtræ Atlantem, libertatis noſtræ vindicem & baſin, vnicum rebus in afflictis conſilium & ſolamen in eo amiſerimus: cuius prudenti directione omnes, quæ nobis impendebant militares ſeditiones impeditæ & ſublatæ, & in omnibus neceſſitatibus numquam nobis defuit pecunia; &, quo agente, omnium totius Europæ Regum ac Principum ita certò nouimus arcana, ac ſi noſtros in eorũ conclauibus habuiſſemus amanuenſes & ſcribas. Qui denique Anglicanum iugum, ceruicibus noſtris Comitis Leceſtrij temporibus imponi cœptum, ſolerti ingenio ſuo feliciſſimè ab eiſdem depulit, & priſtinæ nos libertati aſſeruit. vt vnicus patriæ baculus, magnes, anchora, & turbidis in rebus clauus extiterit. Non ſanguinem eius, vindictam aduerſum nos & ingratitudinem noſtram clamare credis? quem nunc aliis animum, ad re & ſanguine patriam tuendam, futurum putas, cùm tam indignè, ne dicam ſceleratè, beneficia & labores compēſemus? quid alia de nobis regna ſentire exiſtimas, aut quid ſibi ab ingratitudine noſtra exſpectent?

Quartò, iniuſtitia noſtrâ, inſigni mixta in-

gratitudine, elucet in ea quam in fratres nostros, quos Arminianos dicimus, ostendimus, inhumanitate ac barbarie. qui, si verè loqui velimus, vnà cum Aduocato in causa sunt, vt nos Gallus, Anglus, & nuper vitâ functus Mauritius sub iugum non miserint, & vt seruos sibi subiecerint. Quamquam, Mauritio agente, post Aduocati necem, & Arminianorum oppressioné, grauiore sub seruitute gemuimus, quàm omnes Hispanorum subditi, qui maiore longè libertate gaudent, quàm nos sub illo gauisi sumus; quibusque pristina sua priuilegia integriora steterunt, quàm nobis sub illo nostra. Obstupui, & non sine lacrymis vidi, cùm per vniuersas nostras prouincias, Arminianos omnes, qui sanè singulis in ciuitatibus, optimi, ditissimi, & eminentissimi ciuium erant, omnibus magistratibus ac dignitatibus vno pariter tempore vidi deturbari, tamquam si Hispaniarum Regi palàm sacramentum dixissent; eorum verò in locũ fæcem vrbium, ne familiam suam quidem regere, & vxores ac filios curare gnaram, substitui. An non hoc tyrannidem sapit, & Hispanica Inquisitione est grauius? interim tamen vt iusti & placidi Bataui passim apud exteras haberi gentes volumus. Sed eò iam res deuenit, vt, qui hoc dicamur nomine, indigni censeamur.

Quintò, magis verò nostra se prodit iniustitia,

tia, cùm cariſſimam matrem, patriam inquam noſtram, opprimere ipſi & peſſumdare incipimus, certiſſimo totalis libertatis amittendæ, & prouinciarum Anglorum tyrannidi ſubiiciendarum, periculo nos exponentes. Quod vt fiat, cum Anglo, per ſpeciem neceſſariarum ſuppetiarum, pacti ſumus, vt præter ordinarios, quos in præſidiis habemus, & ad quatuordecim millia aſcendunt, Anglos, alia viginti ac quinque peditum, ac ſex equitum millia, illius ære apud nos alerentur; quorum in Gelria, Iuliacenſi & Cliuenſi agro, lociſque vicinis ſtatio foret, & quibus Rex ipſe de ſuo ſtipendium perſolueret. Vt vniuerſim quadraginta & quinque Anglorum millia noſtro in Belgio numerarentur. Quis hanc technam non intelligat? quis ſpecioſo hoc velamine libertatem noſtram vendi ac proſcribi non videat? an non hi, cùm allubebit, nos oppriment, & iugum imponent? Non ſatis, quid Angli ſpectent, nos edocuit Leceſtrius? itáne præteritorum periculorum nos cepit obliuio?

Hoc in conſilio & machinatione, euidentia perfidiæ, ne dicam patriæ proditionis, argumenta, eaque plurima, elucent.

Primùm, iſtuc Achitopheles hi & patriæ proditores collimant, vt Henricum Orengiæ nunc Principem Anglis ſubiiciant, potentia & auctoritate quam habet exuant, ac ceu puerum illo-

illorum ferulæ ſubdant. Verentur ſcilicet illius potentiam, generoſitatem, illuſtria bello facinora, militum in ipſum propenſionē, animum denique placidum, & his quæ rationis ſunt accedentem. verentur adhæc, illo dominante, vt ſuam ſibi in Romano-Catholicos & Arminianos ſæuitiem & tyrannidem, vti factum hactenus, exercere non liceat. Ideoque, ſub neceſſarij ſubſidij prætextu, Anglorum Regem, ad eam quam dixi militum copiam, noſtris in prouinciis alendam, ampliſſima ſponſione & fictis pollicitationibus præuiis, inducendū cenſuerunt. Aperiat, obſecro, Deus Principis oculos, & mentem ſuggerat, qua & inimicos ſupplantet, & nefarias eorum machinas ſubuertat.

Secundum. horum proditorum ſcopus eſt, Anglicanâ iuuante potentiâ & viribus, extorrem Palatinum in dominum & Principem aſſumere: putant enim hunc, ſororij ſui Angli viribus & milite roboratum, aduerſus Hiſpanorum potentiam nos noſtraque numquam non poſſe defendere. quod cùm ſub Henrico Principe vt fiat deſperent, &, Palatino dominante, maiora compendia & emolumenta ſperent; hoc quod dixi machinati ſunt, quò per Anglicanum hoc fœdus maris imperium conſeruent ac ſtabiliant, itaque omnium Regum ſint domini, & ſub precario illo Principe ſuam egregiè rem faciant.

Ter-

Tertium. ampla & ſpecioſa ex Anglicano ærario ſperant munera,eminentiores dignitates,Comitatus,Ducatus, & cum Anglorũ magnatibus per nuptias affinitates.Huc vt pertingant, per nouas has militum copias viam ſibi ſternendam putarunt, vt ſic pariter nos Britannicæ tyrannidi ſubiiciant. Cogitent hîc ſecum patriæ incolumitatis amatores, quò nos hæc tandem deductura ſint,quò noſtra abitura libertas, & quem libera noſtra reſp. ad ſtatum redigenda.tum verò,quam non in Gallorum animis Anglicana potentia excitatura ſit æmulationem. Auertat impia & ſceleſta hæc molimina,aut ſaltem ea bene vertat,Deus.

Sextò, iniuſtitiam noſtram euidentiſſimè oſtendimus in nautas & epibatas illos,qui Braſiliâ nuperrimè ſunt reuerſi, ſuoque opidum S.Saluatoris, & primarias validiſſimaſq; totâ Braſiliâ arces,ſanguine,non ſine omnium gentium ſtupore generoſè ſubegerunt; ſed à nobis, dum neceſſaria in tempore ſubſidia illis mittere neglexrimus,deſerti ſunt.Vnde factum, vt tandem inimico copioſa cum claſſe aduenienti,poſtquam aliquouſque Hiſpanam vim & arma ſuſtinuiſſent, honeſtis cum conditionibus occupata priùs loca reddere ſint compulſi. Hos verò iam domum reuerſos nos ſanguinario & impio decreto , capitis damnauimus, quaſi ſi vltrò,& non compulſi, ſed velut

patriæ

patriæ proditores, Hiſpano arces & opida ceſſiſſent. Quænam hoc nos docet Theologia? nihil tale vniuerſa Scriptura, aut Gentium loquuntur hiſtoriæ. Duodetriginta menſium illis debebatur ſtipendium, ſed, quia ærarium exhauſtum eſt, adeò id illis non numeramus, vt innocuos etiam proditionis inſimulemus. Vt verò noſtram aliquo modo clementiam teſtemur, Occidua ſocietas menſis vnius ſtipendiũ & non amplius, illis, qui mille quadringenti vniuerſim ſunt, vt numeret permittimus; ſub capitis verò pœna, ne quid amplius eorũ quis exigat, interdicimus. Non pium, hoc eſt? quis vmquam tale quid tyrannus fecit? & hæc licet ita ſe habeant, pij tamen & iuſti haberi volumus. Ne verò Præfectorum quiſpiam iuſtam ſuam cauſam verbis tueatur, promeritam eorum ſententiam ſtudio premimus, vt ſemper ſibi metuentes taceant, nec proteruè ius ſuum iactent. Et hanc tu Deo iniquitatem inultam futuram putas? fieri ſanè non poteſt, vt, ſi modò aliquis ſit Deus, hæc aliæque huiuſmodi iniuſtitiæ non tandem aliquando dent pœnas. Si verò nullum in orbe ſit Numen (vt quidem ſuâ Status noſtri vitâ ſatis produnt) mirum ſanè non eſt, tale quid eos moliri. Et, vt nullum ſit, ipſa certè natura ab omni nos iniuſtitia auocaret, ac proximo doceret præſtare id, quod ab alio ipſi nobis fieri volumus.

Appa-

Apparet demum iniuſtitia noſtra, in nupera illa viginti aut plurium nauium Hiſpanienſibus mercibus, pecuniâ, & argento onuſtarum, (quarum pretium ad quatuor propè florenorum milliones aſcendit) ſuaſu noſtro facta ab Anglo inuaſione. Quas nî inuaſiſſet, Anglicana illa claſſis expediri, Gades petere, claſſem Americanam in mari exſpectare minimè potuiſſet, quòd illi emittendæ domi deeſſet pecunia. vnde & militi & nauiculariis redacto ex hiſce manubiis auro potiſſimè ſatisfactum eſt.

Dices mihi, omni qua fieri poteſt, via & modo, fas eſſe cuilibet hoſtem ſuum atterere, & damnum ei creare. Sed heus, ne quid nimis: terminos rationis excedis; neque enim ſacris id litteris edocemur. Liceátne, ad inimici potentiam accidendam & debilitandam, alium ad ſanguinaria & iniqua molimina inſtigare? Florebat inter Angliæ & Hiſpaniarum Reges, iam abhinc multis annis pacta & confirmata, pax: amborum quoque Legati hinc & inde in vrbe Regia ſtationẽ in amicitiæ teſſeram habebant: habebant Anglus Agentem ſuum Bruxellæ, & ſuum Infans Hiſpaniarum, Londini: Anglici denique mercatores indemnes, in Hiſpaniam ſuas vt amici & ſocij, merces vehebant & vendebant. Et nos, tot annorũ pacem ſocietatemq́; nihil morati, ſed Machiauellica quadã religione ducti, Anglis auctores fuimus, has vt naues

ſibi

ſibi vindicarent. In quibus tamen Galli mercatores millionis & amplius, vti & noſtrates alterius millionis ſe iacturã paſſos occlamant: reliquã ad Brugenſes, Antuerpienſes, Inſulenſes ſpectare pars dicitur. Inimici merces vt impetantur & diripiãtur, non diſſuadeo: ſed vt vertantur & diripiãtur ... amibis cõſilioúe Anglos inducamus, vt ſuorũ amicorum, tamquã hoſtium, temerè & promiſcuè merces diripiantur ſibiq; arrogẽt, nec Turcarũ quidem edocebit Alcoranus, non Iudæorum Talmud, deniq; vix quiſquã cordatus credat.

Reſpondes mihi, neceſſitate ſæpè hominem ad ea quæ numquam cogitarat, aut facere decreuerat, adigi: & illam hoc in caſu vſu veniſſe. Etenim cùm (vt incredibiles impẽſas, & plurimos florenorum milliones in claſſem illã Anglicanam prodactos taceam) ſine aliquo notabili pecuniarum ſubſidio, ipſa portubus Anglicanis excedere non poſſet, quò Afris, iuxta fidem ipſis priùs datam, Gaditanæ inſulæ poſſeſſionem tribueret; ac ſimul, illâ moras trahente, euidẽs eſſet periculum, ne commoda ad aliam quam præterea cõceperat expeditionem peragendã prçteriret oportunitas; & iam Deus opt. max. Angliæ ærarium exhauſtum videns, plurimas in Anglicanos portus naues, pretioſis plurimiſque onuſtas mercibus inexſpectatò, tamquam vnicam ad militi ſatisfaciendum rationem, ſubmiſiſſet; placuit hanc quodammo-

dammodo cælitus submissam sortem & felicitatem ambabus vlnis amplecti.

Egregia sanè & acuta ratio, quæ Deum inauditæ cuiusdã iniustitiæ auctorem facit: qualis est haud dubiè, amicorum bona, ipsis etiam inuitis, violenter inuadere, quò iniqua aduersus alios amicos suscepta expeditio executioni possit mandari. Sic licebit quoque Statibus, quò magnam pecuniæ sibi vim parent, omniũ amicorum suorum naues & merces deprędari, quò sic Hispano Regi meliùs resistant: imò verò, omnium vasallorum suorum, ac præsertim Arminianorum & Romano-Catholicorum, facultates sibi arrogare, quibus & aduersus Hispanam potentiam sese tueantur, & Gommaristas locupletent. Verùm hoc & libris, & scriptis dictatisque omnium gentium legibus reclamat, nec vt verisimile Batauo mihi persuaderi potest.

At dices, Anglos in suprema sua necessitate harum mercium diuenditarum pretio tãtisper vti; sed eas veris dominis, persoluto etiã fœnore, tandem restituturos. Est hæc Orientalis societatis Indicæ Directorum techna & mos: qui tandem aliquando illorum quinque & sexaginta, & aliorum octoginta vasorum auri, tam anno MDCXIX. quàm XXI. vti & aliarum immensarum pecuniarum, annis superioribus à caris nostris inquilinis, mutuo & ad depositum

acceptarum, rationem reddituri, quin & vſuram earumdem perſoluturi ſunt; cùm tamen hactenus plenam nec ſortis capitalis, nec vſurarij quęſtus rationem poſſeſſoribus nec defacto reddiderint, nec reddere velint, imò nec poſſint; quòd omnis illa auri vis aut in Directorum marſupia defluxerit, aut in auras euanuerit. Vt verear, vt eoſdem & Angli imitentur, & aliquot tandem poſt ſæcula exteris iacturam paſſis rationem omnium reddant.

Verùm exactiùs & propiùs paulò, quid hiſce quinque proximis annis nobis euenerit, iam diſquiramus. comperiemus enim, plurima nos amiſiſſe, vix autem quidquam viciſſe; cùm tamen Hiſpaniarum Rex proximè elapſo quinquennio,

Primò, pſeudoBohemorum Regem ante Pragam, per ducem ſuum BVCQVOYVM, Bauaricis copijs corroboratum, fuderit, & vniuerſum Bohemiæ regnum Cæſari reſtituerit; nec non Morauiam, & Hungariæ opida non pauca quæ iugum excuſſerant, ſuis ſub Imperatoris poteſtatem armis denuò redegerit.

Secundò, per SPINOLAM in Palatinatu iuxtà ac Iuliacenſi, Cliuio, Montenſi, Marcano, Rauenſburgenſi territorio pluſquam nonaginta tam opida, quàm arces interceperit, ac iuris ſui fecerit. Ac non ſolùm externis hæc Principibus ac Statibus extorſerit; verùm etiam Pa-

penmut-

penmutſiam arcem, Iuliacum vrbem, Monioniam, Bredam, (quæ loca inſuperabilia ducebamus) nec non alia opida plurima, quæ noſtris ipſi præſidijs prædictis in prouincijs inſeſſa habebamus & munieramus, noſtræ poteſtati ac manibus violenter eripuerit.

Tertiò, per GONSAL. DE CORDVBA, cui TILLIVS auxilio venerat, duos potentes Proteſtantium Principum exercitus, rebus omnibus neceſſarijs inſtructiſſimos, quos Brunſuicohalberſtadius & Durlacenſis Marchio ducebant, in Palatinatu fuderit ac fugarit. Mansfeldium verò, eiuſdem GONSALVI ductu in Belgio propè deleuerit.

Quartò, Genuenſium rempub. cui de præſidiarijs, armis, bellico commeatu vix proſpectum erat, aduerſus duos validos exercitus, Gallorum inquam Leſdiguerio Comeſtabili ductore, & Sabaudiæ Ducis, tutatus ſit; expugnata ab illis opida & arces varias armis ſuis recuperarit, & alia contrà non pauca, Sabaudici iuris quæ erant, inuaſerit.

Quintò, ab oppreſſis & ſub Griſonum onere gementibus Vallis Tellinæ Catholicis rogatus, ipſos non modò illorum è manibus liberarit, ſed & priſtinæ libertati reſtitutos, à ſeruitute, quæ plus Turcas quàm Chriſtianos ſapiebat, vindicarit.

Nos verò, Primò quidem S. Saluatoris, in

Brasilia, suis cum arcibus & propugnaculis oppidum improuisò inuasimus, & nemine impediente interceptum dispoliauimus. Sed, cùm triginta nauium classe illuc appulissemus, fœdè, & nonnisi mutuo acceptis nauibus inde excedere, & domum redire compulsi sumus.

Secundò, sex & triginta nauibus, & quinis militum ac nauiculariorum millibus *Porto rico* opidum quidem diripuimus; arce verò nequidquam tentatâ, solâ prædâ contentos nos inde recedere oportuit.

Tertiò, eâdem classe Minensem in Africa arcem inuadere tentauimus, sed septingentis nostrorum desideratis oppugnatione desistere coacti sumus; ac nauibus non paucis, militum verò quatuor millibus supra ducentos amissis, exarmatos & laceros, & vix vllo cum compendio reduces nos vidit Hollandia.

Quartò, tres quoque in Antuerpiensem vrbem expeditiones mouimus; nullatenus eam iam manus euadere nostras posse (ea nimirum nostra erat potentia, machinæ & industria) totâ passim Hollandiâ, etiam antequam solueremus, iactitantes. sed cœpta nostra cęlitus disturbauit Omnipotens, & gelu repentinum, ventos, & tempestates in aciem velut producens, pro aduersarijs pugnauit. vnde omnis spes nostra, vt fumus in ventum euanuit.

Quintò, omni nuper armorum impetu ac poten-

potentiâ in Oldenſeliam opidum conuerſo, octidui ſpatio ipſum expugnauimus. Opidum dico, pagum dixerim potiùs, quòd hoſtilem locus impetum nequeat ſuſtinere, & SPINOLÆ olim viribus ne ad quatuor ac viginti quidem horas potuerit reſiſtere. vnde etiam eius valla & mœnia ſolo æquauimus, quòd hoſtili impugnationi ferendæ eadem non ſufficerent. Maius quid, fateor, ſpectaueramus, noſtraſque addictis à Dano Rege copijs turmas iungere: ſed cùm, quatuor Danorum legionibus, & aliquot equitũ millibus, quos nobis in occurſum emiſerat, antè, quàm noſtris iungerentur, à TILLIO ad internecionem deletis, ſpes illa concidiſſet; aliò mentem, ne nihil egiſſe videremur, conuertere oportuit. Itaque ſeptimus ex omnium conductarum domorum, & quintus ex agrorum pretio redactus nummus, quem noſtri nobis ciues tam gratanter erogarant, dum illuſtrem aliquam illis ſpondemus victoriam, in Oldenſelianis foſſis ſepultus iacet & diſperijt.

Sextò, tria deinde nauiũ millia omnibus rebus neceſſarijs inſtructa, & duodeviginti peditũ, ac binis equitũ millibus firmata, in Flandriã emiſimus. His primò Gandenſiũ propugnaculũ mari imminens (*Saxeam* vocãt,) deinde aliud in alia Flandriæ ora tenue ſatis (ei nomen *Kieldrecht*) tentauimus; vt duplici hac via patefacta, primò vniuerſum agrũ Waſianũ, exin Hulſtum

& arces vicinas, quin & Antuerpiam occu-
paremus. Sed cùm ventus, primùm propitius
& fauens, pòst redditus esset aduersus, ne sexto
quidem pòst die ad oram hostilem appellere
valuimus: & interim hostis, qui à rebus ad de-
fensionem necessarijs satis tenuiter instructus
erat, sibi per otium prospexit, locisque illis cō-
suluit. hinc post equos plurimos in nauibus
præ æstu exstinctos, reiecti ab eo sumus, &
multiplicem commeatus & instrumentorum
bellicorum iacturam passi (vt omittam, duos
in hanc expeditionem absumptos florenorum
milliones,) tandem irrita re fracti ac debi-
litati, sempiterna cum Batauici nominis infa-
mia, vela colligere, & domum renauigare cō-
pulsi. Probrum inde augetur, quòd antè pau-
lò, thrasonica quadam præsumptione, Hollan-
diâ, Galliâ & Angliâ totâ sparsissemus, trime-
stri nos spatio Brabantiam ac Flandriam vni-
uersam nostram sub potestatem redacturos.
Sed superbiam nostram deiecit Deus.

Omnia porro elementa in nostram videntur
ruinā conspirasse, dum hosti sunt propitia, no-
bis verò aduersa. Etenim aqua nos destituit in
vltimis illis in Flandriam & Antuerpiam sus-
ceptis expeditionibus; itidem terra, cùm ob
aquæ paucitatem, & fundi altitudinē exscen-
sionem facere minimè potuimus. terram verò
aduersariam & inimicam sensimus tū, dum in

Africa

Africa haud procul ab arce Minenſi, noſtri à barbaris in arena, arma præ laſſitudine vix tractare valentes, ſunt obtruncati.

Aër in prima noſtra aduerſus Antuerpienſes expeditione tunc ſe nobis inclementem oſtendit, cùm poſtquam in altum prouecti iam eſſemus, ita turbari cœpit, tamquam ſi

Machina diuulſis diffracta labaſceret orbis
Cardinibus:

cùm etiam, vix duarum ſpatio horarum, aqua omnis cruſtis glacialibus repletur, & ventis furentibus intumeſcẽs æquor naues noſtras violenter impetit, vela diſcerpit, rudentes indurat, nauigationiq́ue inutiles, nautas verò præ gelu torpidos reddit, naues denique in naues tamquam in hoſtes inuolare facit. vt vix Princeps Mauritius diſcrimen euaſerit.

Mare quoque indignatur tum, cùm nauiũ noſtrarum, in loco à tempeſtatibus tuto ante Dunkerkam in anchoris ſtantium, pars à mari hauſtæ, pars ad littus alliſæ ſunt, omnes verò malo amiſſo, huc illucq́ue iactatæ ſunt velut maris ludibrium, magno hominum & nauium cum damno. Idem factum Mansfeldio, cùm nouum Anglorum & Francorum exercitui noſtro conſcripturus ſupplementum mare conſcendiſſet; cuius copiæ à tempeſtate, procellæ, & dira lue miſerè diſperiere.

Ventus nos deſtituit, claſſemq́ue noſtram

trimeſtri ſpatio in Belgio detinet, vſque dum S.Saluatoris in Braſilia opidum Hiſpani per otium recuperaſſent. Idem vidimus in poſtrema aduerſus Flandros expeditione, cùm tantiſper ventus ſubſidit & languet, quouſq; hoſtis minimè paratus, varijs è locis ſuos ad oræ illius tuitionē euocaſſet. Idem qui hîc torpuit ventus, in duabus aduerſus arcem Antuerpianam expeditionibus inualeſcit, adeò vt nec cymbulas noſtras commodè aquis inijcere, nec vallo ſcalas applicare licuerit.

Pluuia denique in tertia contra eamdem expeditione nos obruit. nam miles noſter perplutus armis tractandis prorſus erat inutilis, & duabus à recto itinere leucis, tum ob ſpiſſam noctis caliginem, tum ob continuum imbrem deflexit. Quis hîc ad oculum potētem Dei manum, nobis quidem aduerſantem, hoſtes verò protegentem, obumbrantem & propugnantem non videat?

Itaque ne terræ quidem glebam toto vltimo ſexennio Regi abſtulimus, plurima verò amiſimus; ac potiſſimùm in Breda, quam inſuperabilem putabamus. idque eò magis quòd plurimo duorum potentium Regum (vt alios Principes & Reſpublicas omittam) auro & milite tunc maximè foueremur. Vt Hiſpanum in vna Breda Reges duos, plures Principes & Reſpublicas, & in Mauritio vni-

uerſam

uerſam Hollandiam ſubegiſſe, dicere queas. Ad infamiam accedit, quòd, inſpectantibus, & tantam Regum & Principum manum ſub ſignis habentibus nobis, hoſtilibus verò caſtris per dena circumſecus milliaria diffuſis, & minore quàm nos habebamus, milite communitis, eam tandem, ringamur licèt inuidiâ, nobis extorſerit, & ſibi parentem reddiderit.

Pluribus quidem tecum hîc agerē; ſed longas nimis Regibus eſſe manus, tenacem nimis memoriam, & acutas nimis ſecures, nō neſcio. quare, cùm hæc in præſens dicta ſufficiant, finio. neque enim morbidum corpus expedit nimiis medicamentis obruere; ſed paulatim, ex Phyſicorum mente, fit motus, eoque diuturnior. Paucula medicamenta, cùm tempeſtiuè ea dantur, ægrum recreant; plurima, Galeno & Hippocrate teſtibus, enecant. Hæc ergo fidelis expoſitio ac ſincera monitio mea ſi quem locū inueniat; diuturnam Reipublicæ noſtræ ſalutem fore, ac magnam exinde proſperitatem ſucceſſuram auguror.

Quid Buckingamiæ Dux moliatur, quò collimet, liquidò videbis, ſi eius opera, intenta, ſcopum perrimeris, & miram eius cum Palatino, illuſtre aliquod ſuorum connubium (intelligenti, pauca ſatis.) per eum ſperantis, conuenientiam, & occultam aduerſus Principem & ductorem noſtrum Henricum Naſſouium,

ac dulcem patriæ noſtræ libertatem conſpirationem & molimina perſpicias.

Te itaque, Illuſtriſſime Orangiæ Princeps Henrice, compello. Quid agas, quò te vertas, quos in ſinu tuo & domi dracunculos & aſpidas foueas, perpende, quorum venenatæ technæ, virulentæ linguæ & calami, amicorum tuorum principem Aduocatum ſecuri ſubiecêre. Violentam Excellentiſſimi Marchionis Hamiltonij mortem, nec non inexſpectatum & præcipitem Iacobi I. Magnæ Britanniæ Regis interitum, accuratiùs tecum expende. Aliena hæc exempla cautum te faciant. Satius longè eſt, cautum te faciant exempla antecedentium, quàm te exemplum habeant ſecuturi. Et felicitatis pars non minima eſt, aliena nos ex infelicitate & caſu ſapientiam diſcere, circumſpectiores fieri, & infortunia declinare: ingens contrà calamitas & infortunium, noſtrâ vt calamitate alius cautior & fortunatior euadat. Quibus fidas, & quorum manibus fortunatum æquè atque infortunatum exitum tuum concredas, circumſpice. Falli ſemel, humanum eſt; ſecundò verò decipi, ſtoliditatem redolet, & in Principe vix ignoſcendum. In ſanguinem & cædes inſtigare te nolo, ſed vt prudenter tibi caueas volo. Memento, quęſo, omnem potentiam, maximè in bellis ciuilibus, multis eſſe obſeptam laboribus, ac difficulta-

cultatibus variis obnoxiam. Vide ne à nimio externo milite, ſub neceſſariarum ſuppetiarũ velamine, circumuentus vmquam opprimaris, & tuam ſeriùs imprudentiam damnes. Vicini Reges tamdiu ſuis ſunt contenti, quamdiu vicino præualere nequeunt; at, ſemel vbi præualuerint, rationes illis non deerunt, ad regna & prouincias quaſcumque ſibi percommodas, in potentiæ & dominij accrementum, inuadendas: etenim ſexcentæ ſemper ad hoc eis ſuppetunt rationes, quas ſcrinijs ſuis occluſas tenent. Pręterea notà illa inteſtinorum bellorum incertitudo, rebellium ſubditorum mutatio, eorumq́ue qui ſemel legitimorum dominorũ iugum ſuis à ceruicibus excuſſere, impatientia identidem tibi ante oculos verſetur. In bellis enim ciuilibus impudentiſſimum & audaciſſimum quemque ſemper nemo non ſequitur: hinc audacia, armorum eſt loco, impudentia vallorum. qui primùm ſuos impetere riuales ac ſocios audet, is vt plurimùm victor. Temporis adhæc perpende incertitudinem, omnium hactenus rebellium diffidentiam & ingratitudinem, vtq́ue illis magnitudo & potentia omnis ſuſpecta ſit, vt in omni rebellione ipſa ſemper placeat nouitas; deniq; ipſam omnis rebellium coalitionis & congregationis certitudinem in continua verſari mutatione, quam homines inquieti & pacis optatæ perturbatores, ſperatæ

ſperatæ ſuæ proſperitatis & boni ſucceſſus intuitu, aſſiduò vrgent & machinantur. Quiſquis veteres euoluet hiſtorias, id in nullo non bello ciuili locum videbit habuiſſe. adeò vt in eo nullus ſibi, aut ob potentiam, aut ob ampliores dignitates plus alijs poſſit polliceri: minimus quiſque maximo par eſſe & dignitate æquari vult; nemo cedere maiori. etenim vbi ſemel legitimo ac natiuo Principe ſuo repudiato, libertatem ſibi, velut tunicam induêre, nullum ampliùs volunt dominum agnoſcere, nullum ferre caput; ſuam cuique inuident prerogatiuam, quamdamque in omnibus amant paritatem, in qua demum ſuæ fructum libertatis ſitum arbitrantur. Et quamquam aliquod ſubinde caput & ſuperiorem agnoſcant, id tamen nequit eſſe diuturnum. Conſidera & tecum pondera, quàm frater tuus frequenter indigna ab Amſterodamenſibus ſit paſſus, numquam quid quod ipſis diſpliceret, aggredi auſus; quomodo ipſis perpetuò eum obſequi, morem gerere, omnibuſque ipſorum poſtulatis annuere oportuerit. Prudenter id & quàm conſultiſſimè ab ipſo factum, vtpote non ignoranti, omnem in populari gubernatione coryphæum ac principem à filo, id eſt ab impudenti perduellis alicuius ac ſicarij audacia, dependere. Quod ſanè nimis quàm durum & intolerabile eſt ei, qui naturâ Princeps eſt, ac nil niſi Prin-

Principe & heroë dignum animo voluit.

Popularis ergo imperij incertitudinem & inconſtantiam pluribus hîc tibi nolo exponere; quòd ea ſatis ſuperq́ue tibi ſit nota. Prudentiam tibi det Deus, qua inimicos & amicos internoſſe valeas. Sed quamdiu amicos tuos, per Galliam, Germaniam, Brabantiam extorres & profugos errare patieris? hæccine perpetua futura, diſſimulatio eſt? & illis te fidere, quos etſi quotidie ante oculos habeas, maiore tamen & magis Vatiniano odio te proſequuntur & inuidia, quàm omnes quos Hiſpania habet ciues & Proceres? Innata certè tibi eſt quędam de omnibus Hiſpanorum amicis ac fautoribus diffidentia: at plus diffidas oportet ijs, qui ſub ſpecioſo zelandæ patriæ libertatis prætextu, tuū & verorum amicorum tuorum, interitum, malum ac ruinam, & quæſierunt hactenus, & etiamnum quærunt. Simulatio ſæpè, præſertim Principibus, neceſſaria eſt; at ea, cùm ęquo diuturnior eſt, pares Hamiltonio exitus cauſatur. Pluribus Principe dignis virtutibus te Deus & natura beauit: vnde veros & fidos à fictis ac vulpinis amicis dinoſcere vt queas, tibi opto; necnon effuſam ac munificam in omnes tibi ex animo beneuolos & addictos mentem, & manum largam. Tenaces animi ſuo, dum opus eſt, defenſore deſtituuntur; & clauſæ manus amicos ſibi non parant: prodigæ generoſum

produnt

produnt animum, ſuaque in neceſſitate ſinceros & magnos amicos inueniunt. Finem igitur facio, felicia tibi omnia ex animo precatus, fidumque & minimè fucatum obſequium meum tibi addicens. noui enim, te inter omnes qui tibi & à menſa & conſilio ſunt, hoc ſcriptore obſequentiorem famulum reperturum neminem, qui in omnibus quæ tui vel obſequij vel commodi futura ſunt, nulli vel minimum eſt conceſſurus.

FINIS.

Jn. N

Correxit G. Kędzienski